

DIEGO RUIZ DE MONTOYA, S.I.

Commentarii in materiam de peccatis (1^a 2^{ae})

[f.312]

Quaestio 75

De causis peccatorum in generali

Articulus 1

Utrum peccatum habeat causam

Dubium 1^{um}

Pro negativa parte arguitur ex D. Dionysio, c.4 De divinis nominibus, a medio¹, dicente malum non habere causam.

1^a CONCLUSIO: *peccatum habet causam*. Ita D. Dionysius, D. Augustinus et alii Patres ecclesiae locis citandis in sequentibus dubiis et in a.7, et omnes Scholastici, 2, d.34².

Pro hac conclusione D. Thomas inducit verba Iob [5,6] *nihil in terra sine causa fit*. Sed hoc testimonium nihil probat. 1^o, quia sensus illorum verborum est nihil mali in terra evenire nisi pro culpa, ut constat ex contextu illius capitis et praecedentis. 2^o, quia verba sunt Eliphaz et non Iobi, et nullam auctoritatem habent, praesertim cum ad falsi confirmationem adducantur. 3^o, quia respondebit aliquis malum esse nihil et ideo esse sine causa.

Melius probat D. Thomas, ratione, hic et 1 p., q.49, a.1³, supponendo non esse controversiam de peccato in quantum actus quidam est, nam ut sic, oportet dari causam actus ut cuiusque entis distincti a Deo. — At vero non in ratione actus sed in

¹PSDIONYSII AREPAGITAE, *De divinis nominibus*, c.4: PG, 3, 731.

²PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.34: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.487-494.

³THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.49, a.9 : ed. leon. 4, 499.

privacione consistit ratio peccati, supra, q.71, a.6, dubio 1⁴. Huius autem privationis dari causam.

PROBATUR, quia non posset res discedere a sua convenienti et debita dispositione nisi daretur causa excludens illam dispositionem in quam res naturaliter inclinatur, nam talis inclinatio consequitur suum effectum nisi ab extrinseco impediatur; ergo privatio debita honestatis in actu provenit ex aliqua causa impediante. EXPLICATUR ET CONFIRMATUR antecedens in *gravitate*, quae recta via et brevissima descendit deorsum nisi impediatur, et in potentia progressiva quae recte movet et sine claudicatione nisi vel infirmitate vel teneritudine impediatur.

2^o PROBATUR, quia omne quod prius non est et postea existit, necessario debet habere causam per quam reducitur de potentia ad actum. - Pluribus rationibus hoc confirmat D. Thomas, 3 Contra Gentiles, cap.13⁵, sed fere ad hanc reducuntur. [f.312v]

Hinc infert D. Thomas in praesenti peculiarem rationem qua peccatum requirit causam, nam illa mala quae sunt purae negationes tantum requirunt negationem causae; at vero mala culpa, cum sint privationes exigunt causam quae formam impediat.

Ad auctoritatem Dionysii in principio adductam RESPONDET D. Thomas: peccatum non habet causam per se sed per accidens, ut infra, dubio 4. Adde peccatum non esse causam quae vere efficiat malitiam, sed quodammodo.

Dubitatur 2

Quae genera causarum habeat peccatum

1^o. Quod attinet ad causam *materialem* distinguendum est, nam causam materialem in qua sit peccatum realem habet, videlicet voluntatem creatam, de quo dictum est satis q.74, praesertim a.1 et 2⁶. - Causam materialem ex qua constet peccatum non habet proprie quia hoc proprium est substantiarum;

⁴Archivo Teológico Granadino 2 (1939) 236.

⁵THOMAS AQ., *Summa contra Gentiles*, 1.3, c.13: ed. leon. 14,35s.

⁶ArchTeolGran 59(1996)171-194.

constat autem peccatum ex reali monstruositate actus ut ex quadam veluti materia eius.

Peccati causa *formalis* est privatio formae debitae nec propterea falsum est quod ait D. Thomas, 1 p., d.49, a.1 corpore⁷, et Durandus, 2, d.34, q.3⁸, *mali non esse causam formalem*, quia privatio formae non est forma quamvis intelligatur et significetur per modum formae, praesertim cum causa formalis denotet perfectionem et bonitatem rei cuius est forma, cui perfectioni et bonitati directe opponitur malitia; nihilominus, quia haec malitia constituit rationem peccati habet quandam rationem formae.

Simili argumento D. Thomas et Durandus citati dicunt mali non esse causam *finalem*, quia est privatio ordinis ad finem debitum; habet autem causam quodammodo finalem veluti recessum a Deo et constitutionem creaturae supra Creatorem, de quo non multum curandum est modo.

Denique peccatum habet causam per modum *efficientis*, ut probatum est in dubio praecedenti. Quod si OBIICIAS causa efficiens peccati non est simpliciter causa sed quodammodo causa, ut evidenter constat, quia eius effectus, scilicet peccatum, non est effectus simpliciter sed secundum quid, quia non est ens sed nihil; sed similiter habet peccatum causam formalem secundum quid; ergo eadem ratione concedendae sunt a D. Thoma causa formalis et finalis sicut efficiens. RESPONDEO negando consequentiam propter duas rationes: altera, quia peccati causa [f.313] efficiens est ens reale, ut infra dicitur, non vero causa formalis et finalis. Altera ratio est quia peccatum non dicit formaliter privationem causae efficientis sicut dicit privationem formae et finis debiti, imo potius peccatum connotat agens quod deberet agere etc, et libere impeditum est.

In hac et sequentibus quaestionibus observandum est:

⁷THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.49, a.9 : ed. leon. 4, 499.

⁸DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.34, q.3: Amberes 1566, fol.189v, n.4ss.

—1°, fere non agi de alia causa peccati praeter causam quasi efficientem vel quae reducitur ad quasi efficientem, ut efficientis conditio vel applicatio seu determinatio.

—2°, licet in solo peccato commissionis verificetur absolute doctrina huius et sequentis articuli, quia sola commissio habet actum positivum quem causet voluntas, ex quo resultet malitia, nihilominus eadem doctrina proportionem servata accommodari poterit peccato omissionis, quatenus in illo censetur moraliter esse actus positivus quem interpretamur contemnendi precepti et volendi non explere illud, de quo q.71, a.6, dubio 3^o.

Dubitatur 3°

Utrum peccati causa sit aliquod summum malum

Error fuit manichaeorum existimantium unum esse maximum malum a quo omnia mala profluxerint sicut est unum et summum bonum a quo omnia bona. Insuper in homine esse duas animas, aliam a malo deo malisque semper inhiantem; aliam a bono Deo et boni studiosam. De quo vide Augustinum, De haeresibus, haeresi 46¹⁰, et 2 De civitate, c.7¹¹, et 12 De civitate, c.2¹², et libro De duabus animabus¹³, et 5 Confessionum, c.10, et 7 Confessionum, c.12¹⁴; D. Chrysostomum, homilia 9 in Symbolum; Epiphanium, haeresi 37¹⁵; Gregorium Naziancenum, Oratione in Sanctum lavacrum, prope extremum¹⁶; Ambrosium, 1 Exaemerom, c.8¹⁷; Eusebium, libro 7 Historiae, c.27¹⁸;

⁹(Ms q.42) *ArchTeolGran* 2 (1939) 264.

¹⁰AUGUSTINUS, *De haeresibus*, haer.46 : CCL 46,313.

¹¹Id., *De civitate Dei libri XXII*, 1.2, c.7: CCL 47,40.

¹²Id., *Ibid.*, 1.12, c.2: CCL 48,356.

¹³Id., *De duabus animabus, contra manichaeos, liber unus*: PL 42,94.

¹⁴Id., *Confessionum libri XIII*, 1.5, c.10: CCL 27,68; 1.7, c.12: *ibid.*104.

¹⁵EPIPHANIUS, CONTANTIAE IN CYPRO EPISCOPUS, *Adversus octoginta haereses*, (opus quod inscribitur *Pinarium sive Arcula*), haer.37: PG 41 642-654.

¹⁶GREGORIUS NAZIANCENUS, *In Sanctum Lavacrum oratio tertia*: Basilea 1550, p.309.

¹⁷AMBROSIUS, *Hexaemerom libri sex*, 1.1, c.8: PL 14 151.

¹⁸Cf EUSEBII PANPHILI, CESAREAE PALESTINAE EPISCOPI, *Historia*

Castrum, haeresi 1¹⁹; et Bellarminum, 3 Controversiarum 2, libro 5, c.2²⁰; et alios infra citandos.

Huius erroris —1^{um} argumentum est quia contrariorum contrariae sunt causae; ergo ut boni cuiusque est causa summum bonum, ita mali cuiusque causa erit summum malum.

—2^o, quia, si unum contrariorum est in rerum natura, est etiam et aliud, 2 Caeli, textu 18²¹; sed summum bonum est in rerum natura; ergo summum malum; hoc ergo erit causa aliorum.

—3^{um} est quia unum peccatum participat malitiam ab alio; ergo aliquod [f.313v] est primum. — Alia argumenta solventur ex dicendis.

In primis, delirium illud et monstruum duarum animarum evidenter CONVINCITUR a D. Augustino, libro De duabus animabus, cuius rationes brevius refert D. Bonaventura, 2, d.34, a.1, q.1, corpore²². 1^a ratio est quia, aut illa anima quae bona est potest appetere malum, sicque frustra ponitur alia anima mala quae malum appetit, vel anima bona non potest appetere malum et eadem ratione anima mala non potest appetere bonum, quia alias superflueret anima bona ad appetendum bonum. Unde sequeretur malam animam necessario peccare et non libere, quod est contra rationem peccati, supra, q.71, a.6, dubio 4²³.

DICES anima mala libera est ad peccandum et non peccandum. CONTRA, quia si anima mala potest libere se cohibere a peccato,

ecclesiastica, 1.7, c.31: PG 20,719.

¹⁹ALFONSUS A CASTRO, *Adversus omnes haereses libri quatuordecim*, 1.V, *Deus*, Prima haeresis: Paris 1578, 329.

²⁰ROBERTUS BELLARMINUS, *Disputationum de controversiis christianae fidei adversus nostri temporis haereticos*, tomus tertius, Secunda Controversia generalis, *De amissione Gratiae*, lib.V, cap.II: Lyon 1596, 263; ed. Vivès 5,388s.

²¹ARISTOTELES STAGIRITA, (Ioanne Argyropylo Byzantio interprete) libro 2, numero marginali 18: Opera, Lyon 1549, col.581.

²²S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.34, a.1, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.804.

²³*Archivo Teológico Granadino* 2 (1939) 266.

iam hoc censetur moraliter bene operari, ut probatum est q.72, a.6, dubio 3, in appendice²⁴; unde iam illa anima non erit mala.

2^a RATIO Augustini est quia manichaei concedunt cum omnibus bonum esse poenitere de peccato; sed poenitere debet idem qui peccatum causat; ergo eadem anima quae peccavit potest causare bonum, scilicet poenitentiam.

CONFIRMARI potest praeterea, tum quia nullum est ens essentialiter malum, tum etiam quia omne ens productum est a Deo bono ac proinde illa anima mala et eius peccata reducuntur in Deum bonum, quod ex sequentibus magis constabit.

Deinde nullum esse primum malum a quo omnia mala originem ducant demonstratur a D. Thoma 1 p., q.49, a.3²⁵, et 3 Contra Gentiles, c.15²⁶; et ab Scholasticis communiter 2, d.34²⁷, ubi D. Bonaventura, q.1, a.1²⁸; Aegidius, q.2, a.1²⁹, et alii Doctores in 2, d.1. Vide plures apud Cartusianum ibi, q.1³⁰.

1^a RATIO est quia primum principium malorum deberet esse per essentiam malum simpliciter, sicut primum principium bonorum est per essentiam bonum simpliciter; hoc autem implicat contradictionem, quia illud primum malum a nullo causatum et aliorum causa esset ens, ut concedunt manichaei; omne autem ens est propter suam essentiam bonum et in essentia nihil includit mali ut demonstratur in metaphysica et 1 p., q.6, a.4³¹. [f.314]

Inde sumitur 2^a RATIO, quia iam illud malum non esset totaliter malum, quia non esset ens: propterea enim Philosophus,

²⁴Archivo Teológico Granadino, 56 (1993) 240-248.

²⁵THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.49, a.3: ed.leon. 4,502.

²⁶THOMAS AQ., *Summa contra Gentiles*, 1.3, c.15: ed. leon. 14,37s.

²⁷Ms 3,d.34. PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.34: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.487.

²⁸S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.34, a.1, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.802.

²⁹AEGYDIUS COLUMNA ROMANUS, *In librum secundum Sententiarum*, d.34, q.2, a.1: Venecia 1581, pars 2^a, pág.503s.

³⁰DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In Sententiarum librum II, commentarii locupletissimi*, d.1, q.1: Venecia 1584, p.12ss.

³¹THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.6, a.4: ed.leon. 4,70.

4 Ethicorum, c.5³², ait *si malum integrum sit se ipsum destruetur*; sed si esset summum malum esset totaliter et integre malum sicut summum bonum est totaliter et integre bonum; ergo summum malum nihil haberet entitatis sicut summum bonum nullam habet privationem entitatis.

Unde sumitur 3^a RATIO, quia summum bonum est causa omnis boni ac proinde omnis entis; inde fit esse causam illius mali quia illud malum non esset primum principium mali siquidem illud oritur ab alio principio.

4^a RATIO, quia mali causa est bonum, ut demonstrabitur dubio 4. — Plures rationes vide in 3 Contra Gentiles, capite 15³³.

Pro multorum argumentorum SOLUTIONE adverte, id quod ex dictis colligitur, ut illae regulae quae communiter traduntur de *summe tali*, verificari in eo genere quod habet causam per se et non in eo quod licet habeat causam per accidens, nullam tamen causam per se habet et propterea non verificantur in malo sed in bono. Quare, illa regula *omne quod est per accidens tale reducitur ad aliquid per se tale*, non verificatur in malo, quia nullum est per se malum quod sit causa per se aliorum, quia mali causa non est malum sed bonum, ut in dubio sequenti. Nihil autem reducitur nisi in suam causam. — Simili ratione negari posset in malo illa maxima *quod est per participationem tale reducitur in aliquid quod sit essentialiter tale*. — Verum acutius D. Thomas, 1 p., q.49, a.3 ad 4³⁴, respondet nullum esse malum per participationem sed per privationem participationis, quapropter opus non est reduci in aliquid essentialiter malum. Eadem ratione colligit D. Thomas unum malum non esse magis malum quam aliud propter accessum ad summum malum sed propter recessum a summo bono, sicut per accessum ad summum bonum aliquid est bonum maius alio.

³²ARISTOTELES STAGIRITA, *Ethicorum libri 10*, l.4, c.5: Opera, 2^a pars, Basilea 1563, col.73.

³³THOMAS AQ., *Summa contra Gentiles*, l.3, c.15: ed. leon. 14,37s.

³⁴THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.49, a.3 ad 4: ed. leon. 4,503.

Ad argumenta initio proposita, RESPONDEO ad 1^{um} negando antecedens in causis liberis quae contrariorum esse possunt causae. Aliter et bene D. Thomas 1 p., citata, ad 1³⁵.

Ad 2 RESPONDEO: illud axioma, si forte universaliter verum est verificatur tantummodo in contrariis positivis et non in iis quae privative opponuntur; hoc autem modo opponuntur summum bonum et summum malum, quod fingitur, quia summum malum nullam poterat [f.314v] habere entitatem positivam, ut demonstratum est. — Praeterea RESPONDET D. Thomas, 1 p. citata, ad 2³⁶, nullum malum esse contrarium summo bono, quia malum est contrarium, id est nocivum subiecti a quo expellit perfectionem, et magis proprie est contrarium perfectioni quam expellit a subiecto; at vero Deus nec est in subiecto nec est subiectum perfectionis expellendae, quia est purus et simplicissimus actus; ergo nullum malum est illi contrarium.

Ad 3^{um} RESPONDEO: non colligitur aliquod peccatum unum numero esse primum omnium a quo omnia habeant originem, sed tantum colligitur peccatum interius esse originem respectu peccati exterioris quod causat, et ex peccatis internis quaedam habere malitiam in ordine ad alia peccata quibus perfectius convenit malitia.

Dubitatur 4

Utrum peccati causa sit aliquod bonum

Pro negativa parte ARGUITUR 1^o, quia *arbor bona non potest malos fructus facere*, Mt 7 [18]. CONFIRMATUR, quia unum oppositum non potest esse causa alterius; et bonum opponitur peccato; ergo non potest esse causa peccati. 2^o, quia malum non procedit nisi a causa deficiente; sed causa deficiens, ut sic, est mala; ergo peccatum procedit a malo formaliter.

Nihilominus CERTA CONCLUSIO est: *peccatum causari ab aliquo bono et non causari per se sed per accidens*. Hanc docet D. Dionysius, c.4 De divinis nominibus, et optime explicat ibi D.

³⁵THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.49, a.3 ad 1: ed. leon. 4,503.

³⁶THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.49, a.3 ad 2: ed. leon. 4,503.

Thomas, lectione 16 versus medium, sed praecipue lectione 22³⁷; D. Augustinus 1 Contra Julianum, cap.9, tom.7³⁸; Alexander, 2 p., q.100, mem.3, a.1 et 3 et 6³⁹; D. Thomas hic et 1 p., q.49, a.1⁴⁰, et 3 Contra Gentiles, c.19⁴¹; Magister, et communiter Scholastici, 2, d.34⁴², ubi D. Bonaventura, a.1, q.1 et 2 et 3⁴³; Ricardus, q.3⁴⁴; Scotus⁴⁵ et Gabriel, q.1⁴⁶; Durandus, q.3⁴⁷; Aegidius, q.2, a.2⁴⁸; Capraeolus, q.2⁴⁹; Argentinas, q.1, a.2⁵⁰.

Et supponendum est *realem entitatem* actus peccati per se et propriissime causari a bono. — Quo supposito malitiam seu privationem causari per accidens a bono.

PROBATUR ET EXPLICATUR a D. Thoma quia non potest reperiri privatio nisi daretur aliqua causa vere producens entitatem actus et non producens eam perfectionem quam debet habere

³⁷THOMAS AQ., *In librum Beati Dionysii De divinis nominibus Commentaria*, c.4, lect.16; 22: ed. Vivès, 29, 472a; 490a.

³⁸AUGUSTINUS, *Contra Julianum haeresis pelagianorum defensore libri sex*, l.1, c.9: PL 44,669s.

³⁹ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2^a pars, 2, q.100, mem.3, a.1, a.3, a.6: ed.1516, fol.200v, 201, 202.

⁴⁰THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.49, a.1: ed. leon. 4,499.

⁴¹THOMAS AQ., *Summa contra Gentiles*, l.3, c.11: ed. leon. 14,25.

⁴²PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.34: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.487.

⁴³S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.34, a.1, q.1,2,3: Quaracchi, t.2 (1885), p.802-809.

⁴⁴RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, l.2, d.34, a.1, q.3: Brescia 1591, p.420.

⁴⁵JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, cf. d.37, q.1: ed. Vivès 13 364s.

⁴⁶GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, l.2, d.34, a.1, q.1: Editio Tubinga, t.II, 1984, p.597s.

⁴⁷DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sent. Theol. Petri Lombardi Comment. libri quatuor*, 2, d.34, q.3, n.4ss: Amberes 1566, fol.190, n.7.

⁴⁸AEGYDIUS COLUMNA ROMANUS, *In librum secundum Sententiarum*, d.34, q.2, a.2: Venecia 1581, pars 2^a, pág.505s.

⁴⁹IOANNES CAPREOLUS, *Defensiones Theologiae*, 2 2, d.34, q.2, a.1, secunda conclusio: ed. Turonibus 1903, t.4, p.390.

⁵⁰THOMAS AB ARGENTINA, EREMITARUM DIVI AUGUSTINI, *Commentarii in quatuor libros Sententiarum*, 2, d.34, q.1, a.2: Génova 1585, fol.194.

actus et non producens eam perfectionem quam debet habere actus, sive hoc non producere proveniat defectu virtutis in causa sive proveniat ex aliquo impedimento extrinseco; quod autem hoc modo producit privationem producit [f.315] illam per accidens, nam per se producit entitatem actus, et ab illa praeter intentionem resultat privatio. Hanc autem causam esse bonam constat, quia debet esse productiva entis, ad quod requiritur esse ens et bonum.

PROBAT 2^o eandem conclusionem D. Dionysius, cap. 4 De divinis nominibus, ut bene explicat D. Thomas ibi, lectione 22⁵¹, versiculo *Omnium malorum*, quia finis respondet principio; sed finis propter quem amantur peccata est aliquid bonum; ergo principium effectivum a quo procedunt peccata est bonum.

DICES: sicut sufficit finem peccantis esse apparens bonum, ita sufficiet principium effectivum peccati esse apparens bonum.

RESPONDEO esse disparitatem, quia finis non movet nisi ut est in intentione, et bonum apparens ideo movet quia aliquo modo simile est vero bono quamvis non sit verum bonum. Itaque, quod placeat bonum apparens provenit ex praecipua propensione in bonum verum cuius naturam mentitur bonum apparens; at vero principium quod maxime appetit verum bonum debet esse principium vere bonum.

DICES: dabitur ergo alia causa praeter bonum, quae sit causa per se peccati, nam omnis effectus per accidens reducitur in causam per se. — RESPONDEO negando sequelam, nam licet ille qui vere est effectus, quamvis respectu unius causae sit effectus per accidens, reduci debeat in aliam causam quae sit causa per se illius; nihilominus ille qui absolute est effectus, et non est effectus nisi secundum quid, non reducitur in aliquam causam per se illius effectus sed reducitur in aliquam causam quae sit causa per se respectu effectus cum quo coniunctus est ille defectus. Ita D. Thomas hic, corpore, fine. Vide in a.2, dubio 2.

Ad 1 RESPONDEO 1^o, ex D. Augustino, 1 Contra Iulianum, capite ultimo⁵², quem sequitur D. Thomas, 1 p. citata, ad 1⁵³.

⁵¹THOMAS AQ., *In librum Beati Dionysii De divinis nominibus Commentaria*, c.4, lect.22: ed. Vivès, 29, 489b.

⁵²AUGUSTINUS, *Contra Julianum haeresis pelagianae defensorem, libri sex*,

Quod attinet ad Verba Christi Domini Mt 7, sensum esse ex bonis habitibus, praesertim gratia, et bonis actibus voluntatis bonae, non procedere malos effectus externarum actionum; nihilominus non est sensus ex voluntate quae quoad esse naturale bona est non posse procedere culpam quae mala sit; et in idem fere redit explicatio Augustini, 4 In Iulianum, cap.3⁵⁴, et libro De gratia Christi, cap.18 et 19⁵⁵; et libro 2 de Actis cum Felice manichaeo, 4⁵⁶; Auctor Operis imperfecti in Matthaum, homilia 19⁵⁷. Vide Bellarminum, tomo 3, Controversia Generali 3, et illius [f.315v] 1^a principali, libro 5, cap.10⁵⁸. — Quod si velis ARGUERE non tam auctoritate Christi Domini sed RATIONE, scilicet quia causa debet esse similis effectui, ac proinde bonum non poterit esse causa mali, RESPONDEO cum D. Thoma hic ad 3, bonum non est causa mali in quantum bonum est sed quatenus imperfectum bonum est deficiens a summo bono, ut dicitur articulo sequenti, dubio 2; et ut sic principium efficiens malitiae est aliquo modo simile illi. — Ad confirmationem RESPONDEO ex D. Thoma, 1 p. citata ad 2⁵⁹, peccatum non opponi directe et proprie illi bono a quo causatur, scilicet, voluntati, quamvis opponatur eidem quodammodo quatenus directe opponitur convenienti dispositioni voluntatis.

Pro SOLUTIONE 2ⁱ argumenti oportet explicare utrum bonum producat malum in quantum bonum est vel in quantum malitiam habet adiunctam. — Et 1^o certum est quod asserit Durandus 2,

l.1: Basilea 1542, col.963; PL 44 672.

⁵³THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.49, a.1 ad 1: ed. leon. 4,500.

⁵⁴AUGUSTINUS, *Contra Julianum haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, l.4, c.3: Basilea 1542, col.1037; PL 44 754.

⁵⁵AUGUSTINUS, *De gratia Christi et de peccato originali libri duo*, c.18s: PL 44 370.

⁵⁶AUGUSTINUS, *Contra Felicem libri duo*, l.2, c.4: CSEL 25 831; PL 42 538.

⁵⁷*Opus imperfectum in Matthaum*, hom.XIX: PG 56 740.

⁵⁸ROBERTUS BELLARMINO, SI, *Tertia controversia generalis, Controversia prima principalis de gratia et libero arbitrio*, l.5, c.10: Lyon 1596, 591; ed. Vivès, Paris 1873, t.6, 38s.

⁵⁹THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.49, a.1 ad 1: ed. leon. 4,500.

d.34, q.3, initio⁶⁰, bonum in quantum bonum formaliter non agere, si li *in quantum* denotet bonitatem formaliter esse activitatem ad producendum malum, nam bonitas non dicit ordinem activitatis ad effectum, sed rationem perfectionis, ut dictum est q.18, a.1⁶¹, et in *Metaphysica*; et in assignanda ratione bonitatis et distinctione bonitatis a causa finali dissentio a Durando citato.

2^o restat videndum utrum entitas qua res perficitur et completur in suo esse, a qua necessario secundum rationem profluit ratio perfectionis seu bonitatis, utrum inquam illa entitas formaliter in quantum est radicaliter bona, sit causa mali. Et dicendum est causam efficientem mali esse bonum in quantum bonum, in hoc sensu quod ab entitate et perfectione intrinseca habet virtutem producendi effectum a quo resultat malitia, quod est per accidens efficere malitiam; at vero conditio necessaria et ultimo requisita ut bonum producat malum est defectus ipsius boni producentis, ut magis explicabitur a.2, dubio 2. Et propterea malum procedit a bono in quantum bonum est etiam malum, si li *in quantum* reduplicet conditionem ultimo requisitam, non vero si reduplicet virtutem qua producitur.

Articulus 2

Utrum peccatum habeat causam interiorem

Dubium 1^{um}

De voluntate praecipue quaeritur, nam de appetitu et sensu obi-ter dicitur in praesenti quaestione, et ex professo infra, q.77.

PRO PARTE NEGATIVA ARGUITUR 1^o, quia quod provenit ab intrinseca causa semper [f.316] adest; sed peccatum non semper adest homini; ergo non provenit ab intrinseca causa.

2^o. Quidquid est intra hominem, aut est naturale, et hoc non potest esse causa peccati, quia peccatum est contra naturam,

⁶⁰DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.34, q.3: Amberes 1566, fol.189v, n.4.

⁶¹No sabemos de este comentario.

supra, q.71, a.2⁶², aut est voluntarium, et hoc, si fuerit inordinatum iam est peccatum, quare non potest esse prima causa cuiusque peccati, si autem ordinatum sit non erit causa peccati.

3^o. Peculiariter nostram voluntatem non esse causam peccati probatur ex Anselmo, libro *De libero arbitrio*⁶³, dicente *posse peccare nec libertas est nec pars libertatis*.

4^o: quia actus perfectior est quam potentia; sed peccatum non est perfectius voluntate; ergo voluntas non est potentia peccandi. CONFIRMATUR, quia si voluntas esset potentia peccandi, cum illa sit bona, sequeretur etiam potentiam peccandi esse bonam.

Immo, quia cuius usus malus est ipsum quoque malum est; sed usus potentiae peccandi est malus; ergo ipsa potentia peccandi est mala; at voluntas bona est; ergo non est potentia peccandi.

6^o: quia si voluntas esset potentia peccandi peccatum reduceretur in Deum.

Nihilominus, CONCLUSIO DE FIDE est *voluntatem creatam esse causam peccati*, ut docet Damascenus, 4 Fidei, c.21⁶⁴; D. Augustinus, libro *De duabus animabus*, c. 10 et 11⁶⁵; et 1^o *Retractationum*, c.9⁶⁶; et 3 *De libero arbitrio*, c.17⁶⁷; facit D. Hieronymus, tractatu *De filio prodigo*, cuius verba refert Magister, 2, d.7⁶⁸. Ex arbitrii libertate colliges quamlibet creaturam intelligentem peccare posse.

Et peculiariter voluntatem creatam bonam esse ab intrinseco quamvis sit causa peccati tractat D. Dionysius, cap.4 *De divinis*

⁶²*Archivo Teológico Granadino* 49 (1986) 264.

⁶³ANSELMUS CANTUARIENSIS, *Dialogus de libero arbitrio*, c.1: PL 158 489.

⁶⁴IOANNES DAMASCENUS, *Orthodoxae fidei*, 1.4, c.21: Basilea 1575, p.166s.

⁶⁵AUGUSTINUS, *De duabus animabus, contra manichaeos, liber unus*, c.10s: PL 42,102ss.

⁶⁶AUGUSTINUS, *Retractationum*, 1,9: CCL 57 23; PL 32 593.

⁶⁷AUGUSTINUS, *De libero arbitrio libri tres*, 1.3, XVII: CCL 29,303; PL 32,1294.

⁶⁸PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.7: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.334.

nominibus, ut bene explicat D. Thomas ibi, lectione 22⁶⁹; D. Basilius, homilia 9 Quod Deus non sit auctor malorum, columna 7⁷⁰; idemque videtur docere Paulus ad Romanos 7, dum ex insita complacentia legis probat nostram voluntatem esse bonam quamvis peccare possit, illis praesertim verbis: *non quod volo bonum sed quod odi malum facio; condelector enim legi secundum interiorem hominem*. Ita intelligunt Chrysostomus⁷¹ [f.316v] et Ambrosius⁷² ibi.

COLLIGITUR efficaciter conclusio ex auctoribus et rationibus adductis q.71, a.6, dubio 4⁷³. Traditur eadem conclusio non solum a D. Thoma in hoc et praecedenti articulo sed etiam a Magistro et communiter Scholasticis, 2, d.24⁷⁴; Alexandro, 2 p., q.100, mem.3, a.5⁷⁵.

DEMONSTRATUR haec conclusio eisdem rationibus quibus q.74, a.1 et 2⁷⁶ probatum est voluntatem esse subiectum peccati et alias potentias non recipere in se nisi eos actus qui sola denominatione extrinseca proveniente a volitione sunt peccata. Rationes autem illas applicabis conclusioni praesenti, si supponas actus qui recipiuntur in voluntate esse immanentes ac proinde causari ab eadem potentia in qua recipiuntur. CONFIRMATUR, quia omne peccatum est actus liber et humanus, supra, q.71, a.6, dubio 4⁷⁷; omnis autem actus ex se liber causatur a voluntate. Vide alias rationes ibi.

⁶⁹THOMAS AQ., *In librum Beati Dionysii De divinis nominibus Commentaria*, c.4, lect.22: ed. Vivès, 29, 490.

⁷⁰BASILIIUS MAGNUS, *Homilia Quod Deus non sit auctor malorum*: Amberes 1569, p.166a; PG 31 346.

⁷¹IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In epist. ad Romanos*, homilia 13: PG 60 510.

⁷²AMBROSIUS, *De Iacob et vita beata libri duo*, 1.1, c.4: PL 14 635.

⁷³*Archivo Teológico Granadino*, 2 (1939) 266-275.

⁷⁴PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.24 (c.3): ed. Quaracchi 1916, t.2, p.421.

⁷⁵ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2^a pars, 2, q.100, mem.3, a.5: ed. 1516, fol.202v.

⁷⁶*Archivo Teológico Granadino*, 59 (1996) 271-294.

⁷⁷*Archivo Teológico Granadino* 2 (1939) 266.

Sed observandum est 1^o, ut notat D. Dionysius, loco citato, voluntatem esse causam per accidens respectu malitiae peccati, quia illa malitia non est intenta ut finis, nemo enim intendens ad malum operatur, unde Dionysius infert malum esse praeter viam, praeter intentionem, praeter naturam, praeter causam, praeter principium, praeter finem, praeter definitionem et praeter voluntatem.

Quod si OBIICIAS: malitia peccati non potest imputari nisi volita sit; ergo non est praeter intentionem. CONFIRMATUR 1^o, quia malitia peccati, praesertim mortalis, volita est per deliberationem. CONFIRMATUR 2^o, quia haec appertius vera sunt in iis qui ex malitia et certa scientia peccant. — RESPONDEO, ex D. Thoma, lectione 22 in caput 4 De divinis nominibus⁷⁸, et D. Bonaventura, 2, d.34, a.1, q.3⁷⁹, malum esse vere volitum ut obiectum materiale, numquam tamen esse volitum propter se sed propter aliquod bonum, ut propter finem, et in hoc sensu malum est effectus per accidens et praeter intentionem voluntatis. Quandoque autem malitia contingit magis per accidens, ut quando peccatum procedit ex ignorantia; ita tamen accipies physice esse effectum per accidens ut tamen moraliter quodammodo censeatur effectus per se propter obligationem quam habemus evitandi malitiam.

SOLVUNTUR ex dictis TRES DIFFICULTATES:

—1^a, quam late disputant Doctores, 2, d.44, [f.317] ubi D. Thomas, a.1, q.1⁸⁰; Ricardus, q.2⁸¹; Scotus⁸², Gabriel⁸³,

⁷⁸THOMAS AQ., *In librum Beati Dionysii De divinis nominibus Commentaria*, c.4, lect.22: ed. Vivès, 29, 489.

⁷⁹Ms 3, d.24. S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.34, a.1, q.3: Quaracchi, t.2 (1885), p.808.

⁸⁰THOMAS AQ., *Commentum in librum II Sententiarum*, d.44, q.1, a.1: ed. Vivès 8, 584.

⁸¹RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, l.2, d.44, a.1, q.2: Brescia 1591, p.529.

⁸²JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.44, q.1: ed. Vivès, 13, 496s.

⁸³GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, l.2, d.44, a.1, q.1: Editio Tubinga, t.II, 1984, p.711s.

Durandus⁸⁴ et Capraeolus, q.1⁸⁵; Aegidius, q.1, a.1⁸⁶; Albertus, 2 p., penultimo membro totius 2^{ae} partis⁸⁷.

Est autem difficultas utrum potentia peccandi sit a Deo. Cui RESPONDENT omnes cum D. Augustino, 1 Retractationum, c.8, tomo 1⁸⁸, eadem fere sententia, quae duobus dictis continetur:

1^{um}: *potentia peccandi, in quantum est potentia, est a Deo. PROBATUR*, quia potentia peccandi est voluntas seu liberum arbitrium; hoc autem esse a Deo constat quia ens est. Et confirmat Augustinus, quia, cum suprema bona, ut angelos, gratiam et gloriam, et bona infima, ut elementa concedamus esse a Deo, negare non possumus a Deo factum esse liberum arbitrium, quia nec indignum erit Deo, cum dignius sit elementis nec erit supra Dei potestatem cum sit inferius aliis bonis productis a Deo.

2^o EXPLICATUR magis et CONFIRMATUR, quia potentia claudicandi et aliae deficientes potentiae sunt a Deo; ergo maiori iure liberum arbitrium, nam tales potentiae quae naturalem defectum habent non possunt bene exercere suas operationes sed determinatae sunt ad male operandum; at vero voluntas non est determinata ad male operandum sed potius, quod ex se est fertur in verum bonum et convenientem operationem, et quod possit peccare consistit in libertate quae bonum quidpiam est quamvis non sit summum bonum.

DICENDUM est 2^o: *potentia peccandi, quantum ad defectum et negationem perfectionis quam connotat, non est a Deo sed ex eo quod potentia sit ex nihilo*, ut dicitur dubio 2.

2^a DIFFICULTAS est utrum potentia peccandi sit dicenda potentia vel potius impotentia. Et ratio dubitandi est quia peccare potius provenit ex defectu potentiae. — CONFIRMATUR quia posse homi-

⁸⁴DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sent. Theol. Petri Lombardi Comment. libri quatuor*, 2, d.44, q.1: Amberes 1566, fol.205, n.5.

⁸⁵IOANNES CAPREOLUS, *Defensiones Theologiae*, 2 2, d.44, q.1, a.1: ed. Turonibus 1903, t.4, p.500.

⁸⁶AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In librum secundum Sententiarum*, d.44, q.1, a.1: Venecia 1581, pars 2^a, pág.679ss.

⁸⁷ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tract.24, mem.2; 2, d.44, a.2: ed. Vivès 33 481; 27 689.

⁸⁸AUGUSTINUS, *Retractationum libri II*, l.1, c.9 (VIII): CCL 57 23; 32 595.

nem mori non est posse sed non posse; ergo similiter posse peccare non est potentia. Albertus, 2 p., tract.24, q.141, mem.1⁸⁹; Altissiodorensis, lib.2, tract.26, q.2, § *Iterum arguitur contra dictum Augustini*⁹⁰; Scotus, 2, d.44, q.unica⁹¹, et Aegidius, q.1, a.1⁹², parum dissident in solutione huius difficultatis. Et DICENDUM est potentiam peccandi, ut refertur ad actum materiale peccati absolute appellandam esse potentiam; sed ut refertur ad privationem dicenda est potentia non secundum rem sed secundum rationem et secundum quid, sicut effectus illius, scilicet malitia peccati, non est effectus realis sed tantum secundum rationem et secundum quid. — Proprius tamen dicitur potentia ad peccandum quam potentia ad moriendum, quia magis determinate et directe potest agere voluntas ad peccandum quam humores viventis agunt ad mortem: mors enim nullo modo [f.317v] intenta est a virtute activa viventis, sed malitia peccati est simpliciter volita a voluntate.

Ex his constat potentiam peccandi et bene agendi esse potentiam eandem numero et solum differre quia ordo ad peccatum magis explicite dicitur hoc nomine *potentia peccandi* quam hoc nomine *potentia creata bene agendi*.

3^a DIFFICULTAS. Utrum potentia peccandi sit potentia activa formaliter vel potius passiva. — Huius decisio pendet ex duobus capitibus: alterum est utrum voluntas effective concurrat ad volitionem malam vel tantum passive. Quod revocari potest ad aliam quaestionem universaliolem, utrum creaturae aliquid efficiant vel potius Deus solus efficiat omnem effectum ad praesentiam creaturarum. Sed de hoc non est dicendum in praesenti sed supponendum est, ut in Philosophis evidens et

⁸⁹ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tract.24, mem.1: ed. Vivès 33 480.

⁹⁰GULIELMUS ALTISSIODORENSIS, *Summa Aurea*, 1.2, tract.26, q.2, § *Iterum arguitur*..: fol.94. (De la Bibliot. Apost. Vatic. Incunable III 439)

⁹¹JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.44, q.1: ed Vivès, 13, 497.

⁹²AEGYDIUS COLUMNA ROMANUS, *In librum secundum Sententiarum*, d.44, q.1, a.1: Venecia 1581, pars 2^a, pág.682 («680») col.a.

catholica fide certum, causas naturales aliquid agere; et non agere solum Deum ad presentiam creaturarum. De quo, vide Suarez, 1^o tomo Metaphysicae, disp.18, sect.1^{a93}. — Et in specie, quod liberum arbitrium nostrum aliquid agat et non se habeat mere passive, definitum est in Tridentino, sess.6, canone 4⁹⁴, et late probatur a Bellarmino, tomo 3, Controversiae de Gratia et libero arbitrio, c.10⁹⁵.

Denique, in peccatorum actibus reperitur urgentior ratio quae convincat illas prodire a voluntate ut ab efficiente causa, quia alias peccati auctor esset Deus, quod contra rationem naturalem et fidem esse constabit infra, q.79, a.1.

Alterum caput difficultatis est utrum mala entitas procedens a voluntate habeat rationem peccati sub ea ratione qua actio est vel potius sub ratione qua passio est. Hanc quaestionem copiose tractat D. Bonaventura⁹⁶ et Ricardus, 2, d.35, a.1, q.2⁹⁷, ex quorum mente dicendum est: actus voluntatis sub ratione actionis habet proprie rationem culpae, et in quantum passio est magis accedit ad rationem poenae.

PROBATUR et simul aperitur via solvendi obiectiones quae in contrarium adduci possunt quia quamvis primaria ratio peccati consistat in privatione et privatio respiciat subiectum quod deberet habere formam, nihilominus hoc subiectum non alia ratione tenetur habere formam nisi quatenus tenetur illam formam in se agendo causare. Unde sicut obligatio immediata est potius efficiendi formam quam recipiendi illam, ita privatio primario dicit negationem actionis debitae, et secundario negationem receptionis.

⁹³F. SUÁREZ, *Disputationes Metaphysicae*, q.18, sect.1: ed Vivès t.25, p.593-98.

⁹⁴*Dz-Sch* 1554.

⁹⁵ROBERTUS BELLARMINO, SI, *Controversiarum de Gratia et libero arbitrio*, l.3, c.10: Lyon 1596, 506s; ed. Vivès, París 1873, t.5, 599s.

⁹⁶S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.35, a.1, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.825s.

⁹⁷RICARDUS DE MEDIÁVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, l.2, d.35, a.1, q.2: Brescia 1591, p.431.

CONFIRMATUR 1^o, quia libertas potius elucet in formalitate actionis quam in formalitate passionis quae necessario sequitur supposita actione, et ideo [f.318] formalitas passionis potius habet rationem poenae. — CONFIRMATUR 2^o, quia, si per impossibile voluntas unius causaret actum peccati in voluntate alterius nullo modo concurrente efficienter sed tantum recipiens peccatum, tunc voluntas quae recipit peccatum non peccaret sed alia potentia quae producit.

Et hinc RESPONDEO ad quaestionem directe: *potentia peccandi, sub ea ratione qua potentia est est potentia activa et non receptiva.*

Ad argumenta in principio proposita, RESPONDEO. Ad 1^{um} RESPONDEO: quod provenit ab intrinseca causa naturaliter agente adest semper; non vero quod provenit a causa libera, ut peccatum procedit a voluntate. — Hic spectat quod D. Thomas respondet in hoc articulo ad 1^{um}, vel forte vult peccatum aliquando posse non causari a voluntate si deficiat cognitio sensus propter aliquod impedimentum, sine qua cognitione nec intellectio nec volitio esse potest; unde peccatum in nobis ita provenit ab intrinseco ut tamen pendeat ab extrinseco.

Ad 2^{um} RESPONDEO: illud quo producitur peccatum est naturale homini et illo producitur aliquid dissonum naturae eadem proportionem qua in articulo praecedenti, dubio 4, dictum est a bono produci malum, nam dissonum naturae producitur ab eo quod est naturale homini in quantum deficit a perfecta regula sibi naturali quam non necessario sequitur, ut dicitur dubio sequenti.

Ad 3 RESPONDET bene Aegydus, 2, d.44, q.1, a.1, § *Propter primum*⁹⁸, explicans Anselmum, ut potentia peccandi nec sit libertas nec pars libertatis ut sic, quia libertas convenit Deo in quo non est potentia peccandi. Nihilominus potentia peccandi pars est libertatis creatae. Praeterea ipsum posse peccare non perficit libertatem sed potius aliquo modo destruit addens aliquid involuntarium quod est in omni peccato quatenus homo, propter

⁹⁸AEGYDIUS COLUMNA ROMANUS, *In librum secundum Sententiarum*, d.44, q.1, a.1: Venecia 1581, pars 2^a, pág.681.

bonum particulare reiicit bonum universale et honestum, quod tamen vellet retinere si posset simul cum alio, ut dictum est in notab.1 et q.71, a.6, dubio 4 ad 1 argumentum⁹⁹.

Ad 4 RESPONDET Aegidius citatus veram esse illam maximam in bonis at vero in malis peior est actus quam potentia abusiva comparatione loquendo, quia, videlicet maximae imperfectionis est peccatum et minus imperfecta est voluntas quae est potentia peccandi quamvis non propterea habeat malitiam culpae. Ad confirmationem RESPONDEO voluntatem sumi dupliciter, pro potentia et pro actu. Voluntas peccandi, si sumatur pro potentia, bona est, [f.318v] sed hoc complexum *voluntas peccandi*, communiter non sonat nisi actum quo volumus peccare, qui malus est.

Ad 5 RESPONDEO: usus potentiae peccandi potest esse bonus, nam in ratione potentiae peccandi necessario intelligitur simpliciter potentia abstinendi libere a peccato et faciendi bonum et ad hoc praecipue ordinatur potentia peccandi si consideretur eius entitas; secus autem si consideretur conditio requisita, scilicet defectus, nam defectus respicit tantum peccatum, et idem non est malum sed nihil, ut infra, dubio 2.

Ad 6, negatur sequela.

Dubitatur 2

**Utrum voluntas sit causa peccati ut bona est
vel ut imperfecta.**

**Et inde constabit utrum voluntas ut efficiens
vel ut deficiens sit causa peccati**

1^a CONCLUSIO CERTA: *Peccatum est a voluntate creata ut imperfecta et deficiens est.* Ita docet D. Dionysius, De divinis nominibus, cap.4, ut bene explicat D. Thomas ibi, lect. 22¹⁰⁰; Gregorius Nisenus, homilia 8 in Ecclesiastem¹⁰¹; Damascenus,

⁹⁹Archivo Teológico Granadino, 2 (1939) 271-273.

¹⁰⁰THOMAS AQ., In librum Beati Dionysii De divinis nominibus Commentaria, c.4, lect.22: ed.Vivès, 29, 491.

¹⁰¹Gregorii Nysseni Episcopi accurata expositio in Ecclesiastem Salomonis, homilia 8: Colonia 1617, p.115a.

4 Fidei, cap. 21¹⁰²; et ex professo D. Augustinus, 12 De Civitate, c.7¹⁰³; et in Enchiridio, c.23¹⁰⁴; D. Thomas saepe, praesertim in hoc et precedenti articulo, et 1 p., q.49, a.1 ad 3¹⁰⁵; et q.63, a.1¹⁰⁶; Alexander, 2 p., q.100, mem.3, a.1 et 3 et 6¹⁰⁷; Albertus, 2 p., tract.24, q.141, a.1¹⁰⁸; communiter Doctores cum Magistro, 2, d.34¹⁰⁹, ubi D. Bonaventura, a.1, q.2¹¹⁰; Durandus, q.3¹¹¹; Aegidius, q.2, a.2 in dub. literali¹¹²; Cartusianus, q.unica, et apud illum Ulricus, Petrus de Tarantasia, Ricardus et alii¹¹³; Scotus, d.37, col.9, § *Quantum ad 1^{um} dico quod*¹¹⁴.

Sentiunt praeterea hi Doctores, licet non adeo expresse dicant, peccatum per se reduci in defectum voluntatis, et per accidens reduci in entitatem et bonitatem voluntatis.

PROBATUR ex D. Augustino, De Civitate, citato, quia peccatum formaliter non est effectus sed defectus, cum sit privatio et nihil; ergo productio peccati non est effectio sive actio, sed

¹⁰²IOANNES DAMASCENUS, *Orthodoxae fidei*, 1.4, c.21: Basilea 1575, p.166s.

¹⁰³AUGUSTINUS, *De civitate Dei libri XXII*, 1.12, c.7: CCL 48,362.

¹⁰⁴AUGUSTINUS, *Enchiridion ad Laurentium, de fide et spe et charitate*, n.23: CCL 46,63.

¹⁰⁵THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.49, a.1 ad 3: ed. leon.4,500.

¹⁰⁶THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2, q.63, a.1: ed. leon.6,406.

¹⁰⁷ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2^a pars, 2, q.100, mem.3, a.1, a.3, a.6: ed.1516, fol.200s.

¹⁰⁸ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tract.24, mem.1: ed. Vivès 33 480.

¹⁰⁹PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.34, c.3: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.488.

¹¹⁰S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.34, a.1, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.806s.

¹¹¹DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sent. Theol. Petri Lombardi Comment. libri quatuor*, 2, d.34, q.3: Amberes 1566, fol.190, n.7.

¹¹²AEGYDIUS COLUMNA ROMANUS, *In librum secundum Sententiarum*, d.34, q.2, a.2, Dub. later.: Venecia 1581, pars 2^a, pag.508s.

¹¹³DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In Sententiarum librum II, commentarii locupletissimi*, d.34, q.1: Venecia 1584, p.529.

¹¹⁴JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.37, q.2: ed Vivès, 13, 375.

potius defectio; ergo peccati causa ut sic non est efficiens sed deficiens.

CONFIRMATUR, 1^o quia effectus est similis causae per se illius; ergo sicut verus effectus et proprius respondet per se causae efficienti, ita etiam defectus qui intelligitur per modum effectus respondebit causae deficienti intellectae per modum deficientis. CONFIRMATUR 2^o, quia peccare est destruere bonitatem et perfectionem; ergo est deficere.

2^o PROBATUR, quia alias bonum non posset producere per accidens malum nisi in quantum habet coniunctum defectum boni, a quo per se resultat malum.

CONFIRMATUR, quia voluntas, cum naturaliter inclinatur ad ea quae sunt secundum rationem ut ad sibi consona non produceret peccatum sibi dissonum nisi quatenus adiunctum habet privationem perfectissimae rationis et regulae.

3^o, quia naturales causae non producunt effectum defectuosum nisi in quantum habent defectum virtutis activae vel aliquod impedimentum extrinsecum in materia in quam agunt vel ex aliquo agente extrinseco; sed voluntas licet non impediatur ab extrinseco quominus operetur secundum rationem adhuc peccare potest et peccat saepe, ut Adam peccavit in statu innocentiae; ergo in quantum habet defectum intrinsecum.

CONFIRMATUR, quia causa perfecta non potest producere malum nisi quatenus aliquod bonum repugnat cum suo perfecto effectu, sicut ignis perfectus potest producere malum aquae in quantum bonum aquae repugnat cum perfecto effectu ignis; sed bonum rationis non repugnat cum perfecto effectu voluntatis; ergo non est causa perfecta quae producit malum rationis, i.e. culpam.

SOLUTIO eorum quae contra hanc conclusionem obiici possunt constat ex dictis in articulo 1, praesertim dubio 4.

Unica OBIECTIO solvenda restat, quia voluntas potius dicenda est efficiens respectu eius ad quod est magis sufficiens; sed magis sufficiens est ad peccandum quam ad bene agendum, et respectu boni operis est efficiens; ergo etiam respectu peccati. RESPONDEO: respectu entitatis peccati voluntas est proprie et absolute sufficiens et efficiens magis quam respectu boni operis; at vero respectu malitiae peccati non proprie dicitur sufficiens sed insufficiens;

intelligitur tamen illa insufficientia per modum sufficientiae quia ad illum defectum non indiget peculiari auxilio Dei sicut ad bonum.

Restat ARDUA DIFFICULTAS: *quid sit iste defectus voluntatis in quam per se reducitur peccatum*. Et rationes dubitandi sunt 4.

1^a, quia, ut recte ait D. Thomas, 1 p., q.49, a.1 corpore¹¹⁵, quando defectus est in proprio effectu agentis necessarium est defectum provenire vel ex defectu virtutis necessariae ad agendum vel ex impedimento et resistentia materiae; sed voluntas ad agendum non habet resistentiam subiecti, quia ipsa est subiectum suarum actionum [f.319v] et praeterea nulla pars virtutis requisitae ad bene operandum deficit voluntati; ergo nullum habet defectum.

2^a ratio est, quia vel ille defectus voluntatis a quo provenit peccatum est naturalis voluntati, vel non; si est naturalis voluntati semper aderit voluntati, ac proinde semper ex illo promanabit peccatum; si autem defectus non est naturalis, aut provenit ab extrinseco, et hoc non, quia sublato omni defectu proveniente ab extrinseco voluntas peccare potest si per intellectum proponatur obiectum; aut iste defectus voluntatis est liber, et iam erit culpa; unde restabit dicendum a quo defectu proveniat ista culpa; et sic interrogando procedemus donec ostendatur alter defectus qui non resultet ex alio.

3^o, quia defectus quem assignat Augustinus et alii citati, videlicet quia voluntas creata sit ex nihilo, non videtur sufficiens ratio, quia ille defectus tam bonae quam malae voluntati convenit, et non est sufficiens determinatio ad peccandum.

4. D. Thomas ait defectum voluntatis, ratione cuius peccat, esse quia voluntas actu non se subiiciat suae regulae. Ita D. Thomas, 1 p., q.49, a.1 ad 1 et ad 3¹¹⁶, et in hoc a.2, corpore, videlicet voluntatem, propter defectum directionis esse causam deficientem peccati. Idem Caietanus in praecedenti a.1¹¹⁷;

¹¹⁵THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.49, a.1: ed.leon. 4,499.

¹¹⁶THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.49, a.1 ad 3: ed.leon. 4,500.

¹¹⁷THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 2, q.75, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae, ed.leon. t.7,48.

Ferrariensis, 3 Contra Gentiles, c.10 versus finem¹¹⁸. — Sed contra hoc est quia defectus directionis in voluntate seu defectus applicationis regulae, vel significat inconsiderationem aut ignorantiam ex parte intellectus requisitam ad peccandum, et hoc non, quia ad peccandum non semper praeerrequiritur ignorantia, ut ostendetur infra, q.76¹¹⁹, initio, aut significat quod voluntas actu non se conformet regulae rationis, et hoc est formaliter peccatum; ergo non est defectus praesuppositus ad peccandum.

Caietanus, 1 p., q.49, a.1 fine¹²⁰, occurrit huic obiectioni dicens defectum huius applicationis in particulari huius regulae ad hunc operantem esse formaliter culpam, verumtamen defectum talis applicationis in universali non esse formaliter culpam. — Sed hoc nec verum est nec satisfacit, quia defectus applicationis in universali est formaliter culpa in universali, et non est ratio seu conditio praeexistens in causa ut ab illa resultet peccatum; modo autem quaerimus defectum praeexistentem in causa ante actionem peccati.

Nihilominus, pro explicatione huius sententiae et veritatis oportet distinguere duplicem defectum voluntatis: sicut enim in efficiente aliud est virtus causativa, [f.320] aliud vero actualis causatio, et haec actualis causatio praeintelligitur prius ratione ante effectum productum i.e. ab illa pendet effectus quamvis etiam illa non possit esse sine effectu, ita etiam in causa deficiente distinguere debemus defectum quasi potestatem ad deficiendum et defectum actuale praeintellectum ante peccatum in facto esse. Videndus est de hac distinctione sub aliis verbis et de tota hac decisione huius quaestionis D. Bonaventura citatus qui reliquos Doctores excedit.

¹¹⁸FRANCISCI DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS, *Commentarii in Summam contra Gentiles Sti. Thomae Aq.*, 1.3, c.10: ed. leon. op. Sti. Th., 14,31.

¹¹⁹*ArchTeolGran* 8 (1945) 133.

¹²⁰THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 p., q.49, a.1: *Opera Omnia Sti. Thomae*, ed.leon. t.4,500.

Sit ergo 2^a CONCLUSIO: *defectus quasi potentialis a quo provenit voluntatem deficere posse peccando est voluntatem esse creatam ex nihilo.*

Ita D. Augustinus, 12 De Civitate, cap.7¹²¹. Vide alia testimonia Augustini apud Alexandrum, 2 p., q.100, mem.3, a.3¹²²; D. Gregorius, 5 Moralium, c.28, in id *qui serviunt non sunt stabiles* et clarius libro 25, cap.4, colligens ex illo, 1 ad Timotheum 6 [16] *qui solus habet immortalitatem*¹²³. D. Damascenus, 2 Fidei, c.27¹²⁴, licet non satis expresse; D. Fulgentius, De fide ad Petrum, c.3, initio¹²⁵, qui habetur inter opera Augustini, tomo 3; favet etiam caput 23 eiusdem libri¹²⁶. COLLIGITUR ex D. Hieronymo, tract. De filio prodigo, cuius verba refert Magister, 2, d.7, c.2¹²⁷, et D. Anselmus 2 Cur Deus Homo, c.10 ad finem¹²⁸. Favet etiam D. Dionysius, c.4 De divinis nominibus, lect.22 secundum divisionem D. Thomae¹²⁹. — Hanc conclusionem aperte docent communiter Scholastici locis citatis in 1^a conclusione, praesertim Alexander, D. Bonaventura, Scotus et Aegidius. Insuper D. Thomas, 2, d.23,

¹²¹AUGUSTINUS, *De civitate Dei libri XXII*, 1.12, c.8: CCL 48,362.

¹²²ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2^a pars, 2, q.100, mem.3, a.3: ed. 1516, fol.201.

¹²³GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Iob*, libro 5, c.28 (=38): CCL 143 267; PL 75 117; libro 25, c.4 (=6): CCL 143B 1235; PL 76 324.

¹²⁴IOANNES DAMASCENUS, *Orthodoxae fidei*, 1.2, c.27: Basilea 1575, p.145.

¹²⁵FULGENTIUS RUSPENSIS, *De fide seu de regula verae fidei, ad Petrum*, c.3: PL 65 683.

¹²⁶FULGENTIUS RUSPENSIS, *De fide seu de regula verae fidei, ad Petrum*, c.23: PL 65 700.

¹²⁷PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.7: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.334.

¹²⁸ANSELMUS CANTUARIENSIS, *Cur Deus homo*, 2, c.10: PL 158 410.

¹²⁹THOMAS AQ., *In librum Beati Dionysii De divinis nominibus Commentaria*, c.4, lect.22: ed. Vivès, 29, cf 491.

q.1, a.1¹³⁰, et 1 p., q.63, a.1¹³¹, ubi Caietanus¹³²; et Ferrariensis, 3 Contra Gentiles, c.10 versus finem¹³³.

PROBATUR conclusio, quia propterea peccare potest voluntas nostra, quia libere potest non conformari regulae rationis; ideo autem potest non conformari regulae rationis quia bonum rationis, scilicet bonum honestum non rapit necessario voluntatem saltem necessitate quoad specificationem; hoc autem inde provenit quia intellectus noster non videt clare summum bonum honestum, scilicet, Deum, a quo necessario rapiatur, et propterea potest a summo bono deficere et ab aliis bonis quorum honestatem non tam plene cognoscit quamdiu non videt summum bonum.

CONFIRMATUR 1^o, quia ex Scoto 2, d.23, q.unica, § *Dico igitur*¹³⁴, quia voluntas quae non est plene satiata perfecta possessione totius boni, scilicet Dei visione, potest appetere particularia bona. CONFIRMATUR ex D. Thoma, 1 p. citata, quia cum voluntas nostra non sit 1^a regula, ideo potest deficere a 1^a regula. CONSEQUENTIA probatur, quia voluntas quae non est 1^a regula non habet immobiliter insitum amorem summi boni sed potest flecti ad amorem [f.320v] sui particularis boni. CONFIRMATUR, 3^o et explicatur, ex D. Thoma, 3 Contra Gentiles, c.109¹³⁵, quia solius Dei proprium bonum est ultimus finis omnium et ideo se supra omnia diligens non potest aberrare ab ultimo fine; at vero creaturae possunt se supra Deum diligere et aberrabunt, quia eorum bonum particulare non est ultimus finis.

Denique, haec omnia, quae in unum redeo, ideo habet voluntas creata, quia non est Deus sed creatura; ergo defectus a

¹³⁰THOMAS AQ., *Commentum in librum II Sententiarum*, d.23, q.1, a.1: ed Vivès 8,296.

¹³¹THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2, q.63, a.1: ed. leon.6,406.

¹³²THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 p., q.63, a.1: Opera Sti. Thomae, ed. leon. t.5, p.122.

¹³³FRANCISCI DE SYLVESTRIS FERRARIENSIS, *Commentarii in Summam contra Gentiles Sti. Thomae Aq.*, 1.3, c.10: ed. leon. op. Sti. Th., 14,30.

¹³⁴JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.23, q.1: ed Vivès, 13, 163.

¹³⁵THOMAS AQ., *Summa contra Gentiles*, 1.3, c.109: ed. leon. 14,341a.

quo procedit voluntatem nostram peccare posse est quia voluntas est creata ex nihilo.

Hinc INFERTUR omnem voluntatem creabilem peccare posse, quod est ex viribus naturalibus praecise, de quo non est dicendum in praesenti. Vide Doctores 2, d.23, et 1 p., q.63, a.1, et Medina hic, a.1 versus finem¹³⁶.

Sed DICES: esse creatam nostram voluntatem sonat perfectionem et non defectum; ergo non bene assignatur ut defectus a quo profluat peccatum. RESPONDEO: voluntatem esse creatam est perfectio imperfectioni admixta, nam quatenus effectus aliquis, debet esse ens et perfecta, et praeterea, quatenus creata ducit originem a Deo summo bono et propterea debet esse bona. Verum in hoc ipso includitur fundamentum negationis summi et perfectissimi entis, scilicet Dei, et haec negatio necessario coniuncta cum creata voluntate est ille defectus qui radix est peccati, et propterea Patres et Doctores supra non utuntur nomine creaturae solo sed adiuncta voce *ex nihilo*, ut denotent potius hanc imperfectionem quam illam perfectionem, ut bene Alexander, 2 p., q.100, mem.3, a.3 corpore¹³⁷.

3^a CONCLUSIO: *defectus actualis a quo provenit peccatum est in quantum voluntas praeintelligitur non adhibere actu regulam rationis conformando se illi*. Sicut enim possumus intelligere voluntatem ut agentem prius ratione quam intelligamus eius effectum in facto esse, ita possumus intelligere voluntatem ut deficientem a regula prius ratione quam intelligamus defectum ipsum peccati in facto esse. Hanc conclusionem videtur praecipue intendere D. Thomas, 3 Contra Gentiles, c.10 versus finem¹³⁸, et in hoc a.2, et Caietanus, a.1¹³⁹; Scotus, 2, d.37, col.9, §

¹³⁶B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.75, a.1: Venecia 1602, p.397b.

¹³⁷ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2^a pars, 2, q.100, mem.3, a.3 c: ed.1516, fol.201.

¹³⁸THOMAS AQ., *Summa contra Gentiles*, 1.3, c.10: ed. leon. 14,27.

¹³⁹THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 2, q.75, a.1: Opera Sti. Thomae, ed. leon. t.7, p.48.

*Quantum ad 1^{um} dico quod*¹⁴⁰; Ferrariensis, 3 Contra Gentiles citata. Sed clarius D. Bonaventura [f.321] 2, d.34, a.1, q.2¹⁴¹.

Ad rationes dubitandi RESPONDEO ad 1^{um}, ex D.Thoma, 1 p., q.49, a.1 ad 3¹⁴²: hoc discrimen est inter mala naturalia et peccata, quod peccata, quia libere committuntur, possunt exire a causa habente totam virtutem requisitam ad bene operandum quamvis nullam habeat resistantiam dummodo voluntas non sit perfectissima sed imperfecta, ut dictum est conclusione 2; at vero mala naturalia non possunt prodire nisi a causa cui deficiat pars virtutis activae vel impedita sit.

Ad 2^{um} RESPONDEO: ille defectus potentialis a quo provenit peccatum est naturalis voluntati creatae et inseparabilis ab illa, sed inde non sequitur naturaliter et necessario manere peccatum ex illo, sicut quamvis voluntas sit aliquid naturaliter nobis inditum non sequitur actiones bonas necessario manere ab illa. Si autem loquaris de actuali defectu a quo actualiter permanet peccatum, talis defectus est liber et est culpa ut actio intellecta ut se tenens ex parte agentis, sed non est culpa quasi defectus in facto esse; sicut enim prius intelligitur voluntas producens amorem quam amor in facto esse, ita voluntas ut deficiens ad peccatum intelligitur prius quam defectus peccati quasi in facto esse.

Ad 3^{um} RESPONDEO: sententia illa Doctorum vera est ut constat in 2^a conclusione, nec opus est in voluntate ante omnem actionem peccati dari aliquem defectum quo determinata sit ad peccandum et qui defectus reperiatur in peccatoribus, ut notat D. Dionysius, c.4 De divinis nominibus, lectione apud D. Thoma 22¹⁴³; idem D. Bonaventura et Alexander supra.

Ad 4^{um} RESPONDEO: illa sententia D. Thomae magis accedit ad 3^{am} conclusionem, quae loquitur de defectu actuali voluntatis ad

¹⁴⁰JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.37, q.2: ed Vivès, 13, 375.

¹⁴¹S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.34, a.1, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.807a.

¹⁴²THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.49, a.1 ad 3: ed.leon. 4,500.

¹⁴³THOMAS AQ., *In librum Beati Dionysii De divinis nominibus Commentaria*, c.4, lect.22: ed.Vivès, 29, 491.

peccandum, ut ibidem dictum est; si autem intelligatur de potenciali defectu, sic accipienda est ut propterea voluntas peccare possit, quia non habet necessariam connexionem cum regula rationis, idque propterea quia est creatura, ut supra, in conclusione 2.

Dubitatur 3

Utrum peccatum causetur per se a voluntate ut deficiens est

[f.321v]

Tractatur hoc ab Scoto, 2, d.37, col.9, § *Quantum ad 1^{um} dico*¹⁴⁴ et a Caietano, in praecedenti articulo, col.2¹⁴⁵, et ab utroque satis obscure, verum eorum mens parum distat a veritate statim explicanda.

1^o CONSTAT *a voluntate in quantum voluntas est praecise causari per accidens peccatum*, ut dictum est dubio 1, idque accidentalitate ex parte effectus, quia scilicet voluntas producit effectum cui praeter intentionem et per accidens coniuncta est malitia, et praeterea accidentalitate ex parte causae, quia id provenit ex eo quod causa quae est voluntas habet per accidens adiunctam imperfectionem.

2^o, SI OBIICIAS: voluntati, ex intrinseca eius essentia coniunctus est talis defectus ratione cuius potest peccare, ut constat ex praecedenti dubio, et praeterea actui positivo peccati est necessario et inseparabiliter coniuncta malitia propter eius essentiam; ergo nec causae nec effectui accidentaliter convenit defectus. RESPONDEO: hic non sumitur accidentaliter ut significat id quod adese potest et abesse praeter subiecti corruptionem, sed accidentaliter dicitur in praesenti, quod non auget et determinat illud cui coniungitur sed potius limitat et destruit quasi ex opposito stans, et quia defectus qui est in voluntate non auget voluntatem in ratione virtutis causativae nec determinat seu

¹⁴⁴JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.37, q.2: ed Vivès, 13, 375.

¹⁴⁵THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 2, q.75, a.1: Opera Sti. Thomae, ed. leon. t.7, p.48.

modificat illam ut sic sed potius impedit ne perfectior sit virtus causativa voluntatis quasi ex opposito claudens extensionem perfectionis; ideo iste defectus dicitur esse per accidens respectu voluntatis, et simili ratione malitia peccati dicitur esse per accidens respectu effectus peccati, quia in ratione entis non auget illum.

3°. Hinc sequitur peccatum ut peccatum est, respectu voluntatis ut deficiens est, esse effectum aliquo modo per accidens, quia defectus voluntatis non causat peccatum nisi in quantum ille defectus coniunctus est voluntati causandi et in quantum malitia peccandi coniuncta est actu causato, et istae duae coniunctiones sunt per accidens, ut dixi. CONFIRMATUR ex illis rationibus quibus D. Thomas, 3 Contra Gentiles, c.14, probat malum non esse causam nisi per accidens, praesertim 3^a ratione, quia scilicet, malum non causat nisi virtute boni cui coniunctus est¹⁴⁶.

4°. Nihilominus voluntas in quantum deficiens, est aliquo modo per se causa malitiae peccati, videlicet quatenus defectus voluntatis est aliquo modo ultima conditio requisita ut possit causare malitiam et cui correspondet malitia ut simili et velut cuidam exemplari quamvis non omnino sit exemplar.

Articulus 3

Utrum peccatum habeat causam exteriorem

1^a CONCLUSIO: *Nulla causa extrinseca potest voluntatem nostram movere ad peccandum influendo aliquid in ipsum actum aut in voluntatem immediate.*

PROBATUR, quia solus Deus potest movere voluntatem nostram influendo aliquid in illam immediate. De quo vide supra, q.9, a.6, et q.10, a.4¹⁴⁷; sed Deus non potest movere ad peccatum, ut ostendetur infra, tota q.79; ergo nulla causa extrinseca potest

¹⁴⁶THOMAS AQ., *Summa contra Gentiles*, 1.3, c.14: ed. leon. 14,36.

¹⁴⁷THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.9, a.6: ed. leon.6, 82; q.10, a.4: ibid.88.

peccandum, ut ibidem dictum est; si autem intelligatur de potenciali defectu, sic accipienda est ut propterea voluntas peccare possit, quia non habet necessariam connexionem cum regula rationis, idque propterea quia est creatura, ut supra, in conclusione 2.

Dubitatur 3

Utrum peccatum causetur per se a voluntate ut deficiens est

[f.321v]

Tractatur hoc ab Scoto, 2, d.37, col.9, § *Quantum ad 1^{um} dico*¹⁴⁴ et a Caietano, in praecedenti articulo, col.2¹⁴⁵, et ab utroque satis obscure, verum eorum mens parum distat a veritate statim explicanda.

1^o CONSTAT *a voluntate in quantum voluntas est praecise causari per accidens peccatum*, ut dictum est dubio 1, idque accidentalitate ex parte effectus, quia scilicet voluntas producit effectum cui praeter intentionem et per accidens coniuncta est malitia, et praeterea accidentalitate ex parte causae, quia id provenit ex eo quod causa quae est voluntas habet per accidens adiunctam imperfectionem.

2^o, SI OBIICIAS: voluntati, ex intrinseca eius essentia coniunctus est talis defectus ratione cuius potest peccare, ut constat ex praecedenti dubio, et praeterea actui positivo peccati est necessario et inseparabiliter coniuncta malitia propter eius essentiam; ergo nec causae nec effectui accidentaliter convenit defectus. RESPONDEO: hic non sumitur accidentaliter ut significat id quod adesse potest et abesse praeter subiecti corruptionem, sed accidentaliter dicitur in praesenti, quod non auget et determinat illud cui coniungitur sed potius limitat et destruit quasi ex opposito stans, et quia defectus qui est in voluntate non auget voluntatem in ratione virtutis causativae nec determinat seu

¹⁴⁴JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.37, q.2: ed Vivès, 13, 375.

¹⁴⁵THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 2, q.75, a.1: Opera Sti. Thomae, ed. leon. t.7, p.48.

sive exterioribus peccati; at vero si voluntas pro sua libertate eliceret illum eundem actum cum tanta intensione et extensione et caeteris circumstantiis paribus, caeterum voluntas peccaret sine ignorantia vel passione vel persuasione aliorum, gravius peccatum foret, quia magis liberum et imputabile. Vide D. Thoma, q.77, a.6 ad 1¹⁴⁸; D. Bonaventura, 2, d.34, in expositione litterae n° 2¹⁴⁹; minutiora dubia circa litteram D. Thomae vide apud Caietanum in praesenti¹⁵⁰. Denique quomodo diabolus sit causa peccati dicendum est infra q.80.

Articulus 4 Utrum peccatum sit causa peccati

CONCLUSIO *affirmativa est certa* tum ex illo Eccli 3 [29] *peccator adiiciet ad peccandum*, et docet D. Gregorius, homilia 11 in Ezechielem post medium¹⁵¹, et libro 25 *Moralium*, c.13 ante medium¹⁵². Constat multis exemplis Sanctorum et Davidis, Salomonis, Saulis et aliorum. Id praeterea certius constabit infra tota q.84, ubi de quibusdam peccatis peculiariter explicabitur vim habere impellendi ad alia. Praeterea, quatenus culpa est causa poenae et peccatum quandoque est poena peccati constabit q.87, a.2.

Illa autem quae D. Thomas tradit in hoc articulo explicans praecedentem conclusionem recepta sunt omnium Doctorum

¹⁴⁸THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2, q.77, a.6 ad 1: ed.leon. 7,67.

¹⁴⁹S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.34, exp. litt.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.817.

¹⁵⁰THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 2, q.75, a.3: Opera Sti. Thomae, ed. leon. t.7, p.50.

¹⁵¹GREGORIUS MAGNUS, Homilia 11 in Ezechielem: Basilea 1564, t.2, col.178s.

¹⁵²GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Iob*, libro 25, c.13: CCL 143B 1256; PL 76 341.

consensu, ut Durandus, 2, d.36, q.1¹⁵³, ubi Aegidius, q.2, a.1¹⁵⁴; Cartusianus¹⁵⁵ et, apud illum, Tarantasia et alii.

1^o igitur, peccatum, ratione malitiae non est causa alterius peccati proprie loquendo, quia malitia nullam tribuit virtutem agenti, et propterea malum non est causa nisi per accidens et nihil concurrens, sicut musicum aedificat, ut dictum est a.2, [f.323] dubio 3, n^o 3, quamvis malitia unius peccati aliquo modo sit causa per se respectu malitiae alterius peccati, quia aliquo modo determinat ultimo et per se ad malitiam illius et magis per se quam defectus necessario concomitans voluntatem causat peccatum, in eodem dubio 3, fine, quia peccatum magis simile est peccato quam defectus voluntatis et magis inclinatur ad illum.

2^o. Haec dicta sint de activitate physica aut quasi physica, nam activitate morali peccatum etiam quoad formalissimam rationem malitiae causat demeritorie destructionem gratiae et removet auxilia peculiaria Dei ex quo sequuntur alia peccata; quare peccatum, sub propria ratione malitiae et privationis est causa per accidens aliorum peccatorum, quasi removens prohibens. Ita Durandus¹⁵⁶, et non contradicit D. Thomas.

3^o. Si autem unus actus positivus peccati comparetur cum alio actu positivo peccati, sic potest esse causa alterius, secundum quatuor genera causarum; nam in genere causae efficientis physicae erit causa per accidens removendo prohibens, videlicet virtutes naturales contrarias, et erit causa per se producendo habitum quo inclinemur ad similes actus. Erit causa quasi materialis subministrando materiam sicut avaritia litibus et gulla libidinibus. Erit causa finalis, ut quando aliquis deditus est gullae propter inanem gloriam, vel accidit ut furetur, et tunc etiam erit

¹⁵³DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sent. Theol. Petri Lombardi Comment. libri quatuor*, 2, d.36, q.1: Amberes 1566, [fol.191], n.4s.

¹⁵⁴AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In librum secundum Sententiarum*, d.36, q.2, a.1: Venecia 1581, pars 2^a, pág.537s.

¹⁵⁵DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In Sententiarum librum II, commentarii locupletissimi*, d.36, q.1: Venecia 1584, p.543s.

¹⁵⁶DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sent. Theol. Petri Lombardi Comment. libri quatuor*, 2, d.36, q.1: Amberes 1566, [fol.191v], n.7.

aliquomodo finalis causa, quia finis in moralibus dat formam et speciem. Addit etiam Aegidius peccatum esse alterius formam quia illud extrinsece complet sicut charitas complementum est et forma virtutum.

4. Observa inter omnes causas peccatorum id peculiare esse peccato ut solum peccatum possit necessario inferre aliud peccatum ex suppositione quod duret et quaelibet alia causa non possit necessario inferri. Exemplum est quod scientia vincibiliter errans qua iudicas fore peccatum mortale nisi falsum iures ad defensionem innocentis adhuc tamen ex suppositione quod tale peccatum conscientiae errantis maneat, necessarium est te peccare sive iures sive non iures, ut supra, q.19, a.5, dub.1 et 2¹⁵⁷, et quamvis possis deponere odium proximi aut restituere tempore paschatis adhuc tamen ex sup- [f.323v] -positione quod odium et pecunias retineas necessarium est te peccare mortaliter alio peccato, sive accipias sive non accipias Eucharistiam.

5°. Denique non solum peccata peccatorum causae sunt sed quandoque virtutes. Sic enim ex iustitia crudelitas, ex zelo ira, ex mansuetudine torpor per iniuriam proficiscuntur, de quo vide Gregorium 35 *Moralium*, cap.31¹⁵⁸. Id tamen per accidens contingit quatenus ex virtute primum intendit homo finem virtutis et honeste quidem, verum dum media ad finem erigit declinat in aliquod extremum vitiosum vel propter insurgentes passiones excaecantes rationem vel propter negligentiam inquirendi medium prudentiae.

Sigue el comentario a la q.76,
De ignorantia,
publicado en ATG 8 (1945) 125-237

¹⁵⁷No conservamos este comentario de Ruiz de Montoya.

¹⁵⁸GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Iob*, libro 5, c.31: CCL 143 257; PL 75 769.

[f.362]

Quaestio 77**De causa peccati ex parte appetitus sensitivi****Articulus 1****Utrum voluntas moveatur a passione appetitus sensitivi**

CONCLUSIO AFFIRMATIVA constat, Daniel 13 [56], *concupiscentia subvertit cor tuum*, et Iacobi 1 [14], *unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus*; ad Romanos 7 [23], *sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae*; Sapientiae 9 [15], *corpus quod corrumpitur aggravat animam et terrena inhabitatio deprimit sensum*, et alibi [Sap 4,12] *fascinatio nugacitatis obscurat bona et inconstantia concupiscentiae pervertit sensum*.

Deinde certum est voluntatem non moveri a passione directe, quia voluntas est quid spirituale et spirituale non potest directe moveri; de quo vide 1 p., q.111, a.2¹⁵⁹. Restat ergo voluntatem a passione appetitus moveri indirecte, quod bene explicat Conradus in praesenti¹⁶⁰, ut directe moveatur quod effective concurrat ad actum et imprimit aliquid, et illud indirecte moveat quod non movet nisi substrahendo obiectum vel proponendo vel substrahendo aliud requisitum ad operationem voluntatis.

DIFFICULTAS autem remanet in duplici ratione movendi quam D. Thomas tradit: 1^a est quatenus per quandam distractionem necessarium est remitti vel prorsus auferri motum proprium voluntatis quando nimium intenditur motus appetitus sensitivi, quod probat D. Thomas quia virtus unita fortior est se ipsa dispersa, ideoque cum spargitur in plura debilior est circa singula

¹⁵⁹THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.111, a.2: ed.leon. 5,516.

¹⁶⁰CONRADUS KOELLIN, *Expositio commentaria prima in Primam Secundae Angelici Doctoris S. Thomae Aquinatis*, q.77, a.1: Venetiis 1589, p.596.

et quanto plus virtutis impenditur in unam rem tanto minus restat quod tribuatur alteri rei; ergo quando nostrae animae nimium effunditur in passionem appetitus nihil aut parum illius restabit quod in actionem voluntatis incumbat.

Hanc rationem innuit Caietanus¹⁶¹ hic, esse minus tutam et solidam idque probari posset hoc argumento: quia virtus animae qua concurrat ad passiones appetitus sensitivi est idem appetitus sensitivus qui est realiter distinctus a voluntate quae est virtus qua [f.362v] anima concurrat ad volitionem unde quantumcumque crescat passio, anima non impendit in passionem aliquid illius virtutis quae potest incumbere in volitionem.

SI DICAS appetitum sensitivum et voluntatem esse immediatas virtutes animae et instrumentales, verumtamen in anima esse principalem virtutem operandi quae una cum sit spargitur in actiones sensitivas et racionales et ideo si plus tribuatur uni actioni minus restat alteri; adhuc non satisfacis argumento, nam licet ignis agat quantum agere potest per virtutem calefactivam nihilominus non impediatur quominus etiam agat quantum potest illuminando et exsiccando ac si nihil ageret calefaciendo, cuius rationem a priori esse existimo quia agens principale dum agit mediante instrumento non aliter agit nisi in quantum agit instrumentum quod ab agente principali recipit virtutem; unde si diversa sunt instrumenta non impeditur unius actio per actionem alterius.

Conradus in praesenti RESPONDET inter opera animalia et opera vegetativa vel aliarum potentiarum esse discrimen quia haec non requirunt attentionem quam tamen requirunt opera animalia et rationalia et propterea oportet remitti actionem rationalis partis quando magis attenditur ad actionem appetitus sensitivi. SED NON SATISFACIT quia haec attentio non est alia nisi idem ipse actus potentiae, quare, circa attentionem recurrit idem argumentum, ut diversae potentiae diversas attentiones habere possint quae se invicem nihil impediunt; sed oppositum experimur in sensibus, nam diversi sunt et tamen quanto attentius videmus vel audimus

¹⁶¹THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 2, q.77, a.1: Opera Sti. Thomae, ed. leon. t.7, p.62.

tanto remitius gustamus, quod etiam observavit Aristoteles, de sensu, cap.8¹⁶². RESPONDEO hoc non tam verum esse in re quam secundum apparentiam, etenim quia per imaginativam sensum communem et intellectum attendimus magis ad colores vel sonos quam ad sapes ideo videmur nobis non adeo gustare sensu externo et non adeo audire cum tamen vere audiamus et gustemus sicut ex eadem causa contingit videri nobis nihil audivisse cum tamen ea quae scripsimus testentur manifeste nos audivisse quamvis illius actionis non recordemur. RESPONDEO 2^o, illud in potentiis corporis evenire potest propter spiritus animales necessarios ad omnem sensationem qui si revocantur ad unum sensum destituunt alios.

Quare existimo praedictam rationem D. Thomae non esse verisimilem nisi supposita opinione quorundam iuniorum quod anima propter concursum quo mediantibus potentiis concurret ad actus vitales habeat alium immediatum concursum et quasi partialem, in qua sententia probabile fundamentum habebit ratio D. Thomae, et praeterea commodius reddetur ratio propter quam a potentia vitali si forte esset separata non posset elici actus vitalis. Huius [f.363] doctrinae quamvis probabilitas sit exigua videtur tamen esse maior quam oppositum, de quo in libro de anima.

Utitur praeterea D. Thomas alio argumento ad probandam distractionem animae: quia intentio seu attentio dum vehementer applicatur ad unum non potest alteri vehementer attendere, quod sic existimo intelligendum ut attentio et conatus imaginativae tanto minus sit circa unum obiectum quam maior est circa aliud, et propterea remissior sit intellectio eiusdem obiecti quia intellectio pendet ab imaginatione, unde fit ut remissior sit amor voluntatis qui necessario pendet ab intellectione et imaginatione. Et ut hanc rationem distinguas a sequenti, observa praecedentem rationem pertinere ad minuendam attentionem cognitionis non mutato iudicio sed impedita eius attentione quatenus impeditur apprehensio.

¹⁶²ARISTOTELES, *De sensu et his quae sensibus percipiuntur*, c.7: Opera, Basilea 1563, 3^a pars, col.425.

Secundus modus quo appetitus movet voluntatem est quatenus appetitus sensitivus mutat iudicium aestimativae et aestimativa mutat iudicium intellectus et ex iudicio intellectus sequitur actus voluntatis. Caietanus hic¹⁶³ optime reddit rationem propter quam passio appetitus sensitivi mutet iudicium aestimativae, scilicet quia aestimativa non iudicat quid sit bonum ut sic sed quid sit bonum huic animali ita affecto, et propterea quando laboramus nausea, per aestimativam iudicamus detestabiles esse cibos quos esurientes iudicamus esse delectabiles. Sic enim, homini affecto colera et ira, per aestimativam videtur conveniens esse vindicta, et sic de aliis passionibus. Eadem ratio magis explicatur, quia dispositio organi mutat quodammodo iudicium sensus externi, unde palato perfuso colera videtur amarus cibus ex se dulcis; ergo aestimativa affecta spiritibus vitalibus proportionatis vindictae, iudicabit esse bonam vindictam et propterea Aristoteles, 7 Ethicorum, cap.3 et 8, et 3 Ethicorum, cap.4¹⁶⁴, et D. Thomas in sequenti articulo passionem dicunt esse veluti quandam ebrietatem et amentiam et qualis quisque est talem videri finem; et 2 Reticorum cap.1¹⁶⁵, amantibus et odientibus non eadem videri.

Mutatur autem per passionem non solum iudicium rei in particulari sed plerumque etiam iudicium rei in communi, ut constat in antiquis philosophis et quotidie in haereticis qui licere existimant turpissimos actus contra manifestum naturae lumen, idque non nisi per passionem.

Praeterea passione mutatur iudicium rationis non solum quatenus passio causa est ut obiectum aliter appareat quasi per connexionem extremorum sine ratione sed etiam quatenus passio ipsa est quoddam obiectum non levis considerationis ut moveat hominem sui amatorem, nam passio molestiam maximam infert

¹⁶³THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 2, q.77, a.1: Opera Sti. Thomae, ed. leon. t.7, p.62.

¹⁶⁴ARISTOTELES, *Ethicorum, ad Nicomachum*, 1.7, c.3; c.8; 1.3, c.4: Opera, Basilea 1563, 2^a pars, col.123; 130; 51.

¹⁶⁵ARISTOTELES, *Rhetoricorum*, 1.2, c.1: Opera, Basilea 1563, 1^a pars, col.473.

nisi impetret a ratione quod postulat ideoque saepe annuit ratio passioni et amplectitur ea obiecta quae ex vi praesentis cognitionis repudiaret nisi timeret molestiam et tristitiam passionis repressae, ut olim Sanson, importunis precibus uxoris victus est et defecit anima eius et ad mortem usque lassata est. Quod ansam praebuit Medinae, supra, q.9, a.2¹⁶⁶, existimandi voluntatem [f.363v] moveri posse ab appetitu sensitivo non variato iudicio imaginativae nec intellectus, de quo non est locus disputandi ex professo, dicemus tamen aliquid in sequenti articulo, in 3^a solutione.

Disputari posset in praesenti utrum omne peccatum proficiscatur ex passione, nisi haec quaestio tractata fuisset ex professo supra, q.74, post a.5, disputatione de ratione superiori dubio 4¹⁶⁷.

Posset praeterea disputari utrum fortius moveatur voluntas a passione delectationis quam a dolore et aliis passionibus tristibus. De quo vide D. Thoma supra, q.75, a.6.

Articulus 2

Utrum ratio possit superari a passione contra suam scientiam

In hoc articulo illud tantum est difficile utrum omne peccatum necessario supponat aliquem errorem in intellectu, de quo satis dictum est in q.76, a.1, dubio 1¹⁶⁸. Et cum ibi constitutum sit ex ratione peccati non requiri ullum errorem aut ignorantiam malitiae praecedere in intellectu ante volitionem quae est peccatum, restat modo brevis quaedam DIFFICULTAS circa peccatum ex passione, nam passio non potest aliter movere voluntatem nisi mutata imaginativa et intellectu modo explicato in dubio praecedenti; ergo non procedet peccatum ex passione nisi

¹⁶⁶B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.9, a.2: Venecia 1602, p.99b.

¹⁶⁷*Archivo Teológico Granadino* 59(1996)250.

¹⁶⁸*ArchTeolGran* 8 (1945) 133.

praecedat in intellectu error aut inconsideratio causata ex passione.

RESPONDEO 1^o: voluntas movetur ab appetitu media imaginativa et intellectu non solum quatenus absolute mutatur iudicium vel consideratio aufertur sed etiam quatenus iudicium fit remissius et quasi magis ambiguum et quatenus consideratio fit obscurior et quasi per somnia intellectu distracto ad alia obiecta, et licet consideratio quae remanet sufficiens sit ad non peccandum nihilominus facilius est tunc voluntatem rapi a delectabili obiecto.

2^o RESPONDEO: passio inclinatur ad peccandum ut obiectum afferens molestiam quam sustinere non vult voluntas, et ideo nulla posita inconsideratione aut errori intellectus adhuc passio per modum obiecti inducit ad peccandum ut in fine praecedentis articuli dictum est.

3^o RESPONDEO: verisimile est quod passio inclinet etiam voluntatem per modum cuiusdam conditionis qua posita facilius voluntas fertur in idem obiectum propter concatenationem potentiarum et inde non inferitur quod passio necessitatem afferat voluntati nec effective concurrat ad eliciendam volitionem, ut in simili dicitur de actu phantasiae respectu intellectus, de quo alias.

4^o. Adrianus, quodlibeto 4^o¹⁶⁹, quem refert et sequitur Corduba, 2 Quaestionum, q. 8 prope initium, distinguit duplex peccatum ex passione: aliud late sumptum quod fit ex passione quomodocumque inclinante, et hoc existere ait sine ullo errore et sine distractione intellectus; aliud vero peccatum proprie dicitur ex passione et in illo debet esse tanta vis passionis ut causet errorem aut incogitantiam dictaminis practici saltem quoad applicationem ad hanc singularem actionem. PROBANT quia, alias peccatum committetur prorsus scienter [f. 364] ac proinde ex malitia, ut in sequenti quaestione, articulo 1. Unde non erit peccatum ex passione. Sed haec disceptatio est solum de modo loquendi; in re autem nullum inconveniens est idem peccatum esse ex ignorantia et ex passione simul nec ex passione et malitia

¹⁶⁹HADRIANUS SEXTUS, *Quaestiones Quolibeticae*, Quaestio 4: Padua 1522 (Reprod. New Jersey 1964) fol. 21.

simul, ut non est inconueniens plures causas ad idem peccatum inducere.

Quare ad quaestionem propositam directe respondemus. Sit CONCLUSIO: *potest voluntas superari a passione supra suam scientiam, id est, quamvis intellectus actu ostendat malitiam peccati potest voluntas passionem sequi inclinantem ad peccandum.*

Articulus 3 Utrum peccatum quod est ex passione debeat dici ex infirmitate

Affirmat D. Gregorius, 25 *Moralium*, cap.11, in initio¹⁷⁰; D. Augustinus, in Ps. 118, contione 3¹⁷¹, et libro 83 *Quaestionum*, q.23¹⁷²; D. Isidorus, 2 *De summo bono*, cap.17¹⁷³; Gratianus, 15, q.1, in initio¹⁷⁴; Magister et communiter Scholastici, 2, d.43¹⁷⁵; Alexander, 2 p., q.163, mem.1¹⁷⁶. Et propterea theologi dicunt peccatum ex passione esse in Patrem cui attribuitur potentia, ut infra, q.78, a.4, fine. Et D. Thomas, hic, ex Aristotele 7 *Ethicorum*, cap.8¹⁷⁷, comparat incontinentem paralitico cuius partes moventur quam ipse disponit; similis enim infirmitas provenit ex passione, nam licet passioni possimus libere resistere, nihilominus difficilem et

¹⁷⁰GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Iob*, 1.25, c.11: CCL 143B 1253; PL 76 339.

¹⁷¹AUGUSTINUS, *Enarrationes in Psalmos*, In Ps 118, sermo 3: CCL 40 1671s; PL 37 1507.

¹⁷²AUGUSTINUS, *De diversis quaestionibus octoginta tribus*, q.26: CCL 44A 32; PL 40 18.

¹⁷³ISIDORUS HISPALENSIS EPISCOPUS, *Sententiarum libri tres*, 1.2, c.17: PL 83 620. (El libro 1, c.1, comienza *Summum bonum*...)

¹⁷⁴c.1, C.15, q.1: Friedberg I, 745.

¹⁷⁵PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.43: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.537.

¹⁷⁶ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2^a pars, 2, q.163, mem.1: ed.1516, fol.349.

¹⁷⁷ARISTOTELES STAGIRITA, *Ethicorum libri 10*, 1.7, c.8: Opera, 2^a pars, Basilea 1563, col.130.

molestam reddit gubernationem inferiorum virium, unde Tullius, 4 Tusculanorum¹⁷⁸, aegritudines animi vocat, et propter hanc infirmitatem Genesi 49 [4], dicitur Ruben effusus sicut aqua, quae se ipsam continere non potest sed indiget solido corpore continente. Ita Hieronymus, in Quaestionibus super Genesim¹⁷⁹; Isidorus et Eucherium¹⁸⁰, unde Iob 24 [18] de adultero dicitur *levis est super faciem aquae*.

Articulus 4

Utrum amor sui sit principium omnis peccati

CONCLUSIO: *Amor sui usque ad contemptum Dei est causa omnis peccati*. Ita Augustinus, 14 De Civitate, cap 28¹⁸¹; quod satis innuit Paulus, 2 Ad Tim 3 [3], dicens: *erunt homines sui [f.364v] amatores, cupidi, elati, superbi*, etc, ubi congerit omnium vitiorum capita ut emergentia ex proprio amore, quod bene observavit Chrysostomus ibi, homilia 7¹⁸²; ideoque Christus Dominus, Mt 16 [25] et Lc 14 [26] sui ipsius amore vel abnegatione et odio distinguit suos discipulos a reliquis, et ait omnem qui se amaverit perituum, et omnem qui se oderit salvum fore.

PROBAT D. Thomas ratione, quia propria et per se causa cuiusque peccati est amor alicuius boni commutabilis quod peccans anteponebat legi divinae; nullus enim operatur intendens ad malum sed ad bonum; cum autem peccans hoc bonum sibi appetat iam eo ipso amat se, nam se amare est velle sibi bonum, unde ex amore sui inordinato procedit omne peccatum.

¹⁷⁸M. T. CICERO, *Tusculanarum Quaestionum libri quinque*, 1.4: Paris 1565, p.162-177

¹⁷⁹HIERONYMUS, *Liber hebraicarum quaestionum in Genesim*, c.49, 3: PL 23 1055s.

¹⁸⁰EUCHERIUS, LUGDUNENSIS EPISCOPUS, *Instructionum ad Salonium libri duo*, 1.1, c.1: PL 50 778s.

¹⁸¹AUGUSTINUS, *De civitate Dei libri XXII*, 1.14, c.28: CCL 48,451.

¹⁸²IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In epist.2 ad Tim*, hom.7: PG 62 635ss.

SED CONTRA arguitur 1^o, quia potius omnis qui peccat videtur peccare ex odio sui nam sibi vult vere malum, unde dicitur in Ps [10,6] *qui diligit iniquitatem odit animam suam*. Vide plura in hanc rem, q.71, a.2, dubio 1¹⁸³. RESPONDEO: in peccante est haec monstruositas inter alias, ut simul sibi velit malum et bonum, ac proinde simul seipsum amore prosequatur et odio. Quod si respicias ad obiecta tantum et non ad modum quo circa illa versatur merito dices peccatorem se odisse potius quam amare, quia longe maius est malum culpae et poenae quod sibi vult per peccatum quam bonum mutabile quod per eandem actionem intendit. Si autem respicias modum quo peccator versatur circa eadem obiecta, sic potius se diligit quam odio habet nam bonum commutabilem vult directe et per se ut finem ultimum, ac proinde bonum est summum volitum, unde propriissime et formaliter amat se, at vero malum culpae et poenae non vult peccator nisi indirecte et quasi per accidens, quapropter non habet odium sui proprie et formaliter sed quasi de materiali, quia ad formale et proprium odium alicuius personae opus est velle malum illi quia malum est illi.

Sed URGEBIS: ex hac volitione malitiae resultat peccatum potius quam ex volitione mutabilis boni; ergo saltem hoc materiale odium sui est causa potius peccatorum quam amor sui. RESPONDEO distinguendo antecedens et consequens, nam privatio bonitatis in qua consistit ratio peccati immediatius et formalius resultat ex eo quod positive volita sit malitia quam ex eo quod volitum sit commutabile bonum, ut supra, q.71, a.6, dubio 1¹⁸⁴; nihilominus quia ratio propter quam volita est illa malitia est bonum commutabile quod propter se amatur, et cum illo accipitur etiam malitia, ideo quando assignatur prima causa movens ad peccandum merito assignatur amor sui et huius commutabilis boni, et propterea D. Thomas in corpore huius articuli supponit, ex q.75, a.1, causam primariam peccati sumendam esse ex parte conversionis et non ex parte aversionis.

¹⁸³ *Archivo Teológico Granadino* 49(1986)264-278

¹⁸⁴ *Archivo Teológico Granadino* 2 (1939) 236.

2^o ARGUITUR, quia potius est sibi optare mortem et annihilationem et seipsum odisse et tamen haec peccata non proficiscuntur ex amore sui, nam ut saepe diximus, nullus sibi optat mortem vel aliquod aliud malum nisi sub aliqua vera vel apparenti ratione boni proprii, ut impunitatis aut immunitatis a miseris, quod bonum iudicat a se aliquo modo possidendum fore si annihiletur. [f.365]

3^o ARGUITUR, quia quod est naturale non potest esse causam ad peccandum, alias Deus auctor naturae moveret ad peccandum; sed amor sui est naturale; ergo non movet ad peccandum. RESPONDEO distinguendo maiorem, nam amor sui infra Deum est naturalis, et hic non est causa peccati; at vero amor sui supra Deum non est naturalis, ut probatum est q.71, a.2, dubio 2¹⁸⁵.

Hinc solvitur 4^{um} ARGUMENTUM, nam si dicas amor sui honestus est et praeceptus, siquidem ad instar amoris proprii praecipitur amor proximi, Levitico 19 [18]; ergo non est causa peccati. RESPONDEO amor sui infra Deum et in ordine ad Deum honestus est et non est causa peccatorum; sed amor sui supra Deum turpis est et peccatorum omnium causa. Quod SI PETAS quare amor sui absolute dictus accipiatur pro amore inordinato cum se magis amet qui ordinate amat. RESPONDEO rationem esse quia amore quo homo se ordinate diligit magis diligit Deum quam se, quapropter ille amor est Dei potius quam sui.

Hinc insurgit 5^{um} ARGUMENTUM: amor sui supra Deum est ratio superior essentialis cuicumque actui peccati nam in omni peccato mortali aliquod bonum commutabile quod peccans vult sibi anteponitur Creatori; ergo hic amor non est causa peccatorum. RESPONDEO: amor sui dupliciter accipitur: 1^o, pro amore qui sit passio appetitus sensitivi, et hic erit causa realiter distincta a peccatis, verumtamen non erit causa cuiusque peccati, quia aliqua peccata non procedunt ex passione, ut dictum est in q.74; quare D. Thomas, in praesenti non loquitur de hoc sed de amore illo qui est ratio quaedam communis in omnibus peccatis

¹⁸⁵ *Archivo Teológico Granadino* 49(1986)276-283.

mortalibus essentialiter inclusa, et illa non est realiter causa peccatorum sed dicitur esse causam secundum rationem, quia est ratio prima determinans ad volendum malum.

6^o ARGUITUR, quia saltem peccatorum venialium causa non erit amor proprius, quia in illis creatura non amatur supra Deum. RESPONDEO: supponendo ex q.88, a.1, dubio 11¹⁸⁷, in peccato veniali constitui finem actus in creatura, licet in illa non constituatur finis personae, unde in peccato veniali bonum mutabile antepositur Deo non simpliciter sed secundum quid; quo supposito dicendum est in peccato veniali includi amorem sui secundum quid, qui amor est causa illius quod est secundum quid peccatum.

7^o ARGUITUR, quia peccatum omne est ex amore male inflamante aut ex timore male humiliante, nam ita explicat D. Augustinus in Ps 79 [17]¹⁸⁸, *incensa igni et suffosa ab increpatione vultus tui peribunt*; et Beda ibidem; ergo non omne [f.365v] peccatum procedit ex amore. CONFIRMATUR, quia in Sacra Scriptura alia assignantur peccatorum causae, ut concupiscentia, avaritia et superbia. RESPONDET D. Thomas hic; Albertus 2 p., tract. 22, q. 132¹⁸⁹: timorem, concupiscentiam, superbiam et quoslibet alios affectus originem ducere ab amore sui.

8^{um} ARGUMENTUM est quia aliqua peccata committuntur propter amorem Dei et illius obsequium sine ulla intentione proprii emolumenti; ergo saltem illorum peccatorum non erit proprius amor. Antecedens probatur in illis hominibus qui sanctitatis specie delusi filios interficere aggrediebantur vel se ipsos praecipitio collidere aut aquis suffocare. RESPONDEO negando antecedens; imo in his peccatis qui peccat quaerit aliquod bonum et emolumentum sibi proprium, quod facilius explicatur in eo qui scienter vult committere peccatum propter amorem Dei ut

¹⁸⁷ *Archivo Teológico Granadino* 54(1991)287-293.

¹⁸⁸ AUGUSTINUS, *Enarrationes in Psalmos*, In Ps 79 sermo: CCL 39 1118; PL 36 1026.

¹⁸⁹ ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tract.22, q.132: ed. Vivès 33 440.

si velit furari aut iurare falsum ad dandam eleemosynam propter Deum sciens talem actum esse peccatum; nam tunc quamvis [qui] maxime amatur in eo actu ut actus est sit Deus, nihilominus in eo actu ut peccatum est maxime amatum et antepositum legi divinae est commodum dandi eleemosynam quod reperitur in furto vel in periurio, et hanc commoditatem peccans vult sibi siquidem vult illa uti contra legem Dei, unde quantum ad hoc, amat se magis quam Deum. Hinc aperitur via explicandi idem in illis qui culpabiliter existimant se nihil proprii emolumenti quaerere sed sincere propter gloriam Dei se ipsos interficere, nam illi etiam in opere interficiendi se ipsos amant commoditatem quam falso existimant inesse illi operi ad placendum Deo, et tali appretiatione amant ut anteponant legi divinae (suppono enim ignorantiam esse culpabilem et opus occisionis esse transgressionem divini praecepti); quare iam ex hac ratione praecise commoditas illa placendi Deo amatur ut proprium bonum quamvis ex alia ratione amatur propter Deum; quae praecisiones similes sunt illis quibus in q.88, a.1, dubio 1¹⁹⁰, defendimus in omni peccato mortali etiam quod ex ignorantia committitur propter obsequium Dei creaturam anteponi Deo et amari ut finem ultimum.

DICES: horum actuum finis primo movens est obsequium Dei quamvis de materiali admisceatur proprius amor; ergo non est dicendum causam horum peccatorum esse amorem proprium sed amorem Dei. RESPONDEO distinguendo antecedens, nam licet divinum obsequium [f.366] sit praecipua causa huius actus in quantum actus est, quia est finis ultimo intentus, verumtamen ad actum in quantum peccatum est non inclinatur obsequium Dei per se sed per accidens, et causa per se illius peccati fuit amor commoditatis ad serviendum Deo ut boni cuiusdam proprii et anteponendi legi divinae.

9^o ARGUITUR, quia saltem quando amicum diligis non amore concupiscentiae sed amicitia sincera, et in gratiam amici furaris vel occidis, tunc causa erit non amor proprius sed amor amici. RESPONDEO negando consequentiam, nam etiam quando amicus diligitur sincero amore amicitiae amatur ut bonum aliquod amantis

¹⁹⁰Archivo Teológico Granadino 53(1990)179.

sed hoc differt ab amore concupiscentiae quod non amatur amicus propter utilitatem pecuniarum, honoris, potentiae vel alterius rei sed propter ipsum bonum amici qui est alter amicus bonus et felix sicut parentes filios diligunt et eorum felicitatem desiderant quia filii sunt bonum parentum etiamsi nihil aliud boni ab illis sperare possint; igitur amicus ita amatus est bonum quod tibi amas magis quam Deum, et ita quantum ad eum actum te ipsum amas magis quam Deum.

Articulus 5

Utrum convenienter ponantur causae peccatorum concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae

Affirmat Ioannis Apostoli 1^{ae}, c.2, [16], qui locus cum scholastico examine non indigeat, Sacrae Scripturae expositoribus relinquatur. Illum ex professo explicat D. Thomas in praesenti, et fusius D. Augustinus, 10 Confessionum, praesertim cap.35¹⁹¹; Albertus, 2 p., tract.22, q.133¹⁹².

Articulus 6

Utrum peccatum alleviatur propter passionem

Pro negativa parte ARGUITUR 1^o, quia causa fortior effectum maiorem producit sed passio est causa peccati; ergo quanto fortior fuerit passio tanto gravius peccatum efficiet.

CONFIRMATUR 1^o, quia passio intensior inducit voluntatem ad intensiorem volitionem peccati; ergo ad gravius peccatum. CONFIRMATUR 2^o, quia ex D. Thoma supra, q.6, a.7¹⁹³, passio auget voluntarium; ergo auget gravitatem peccati.

¹⁹¹AUGUSTINUS, *Confessionum libri tredecim*, 1.10, c.35: CCL 27,184; PL 32 802.

¹⁹²ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tract.22, q.133: ed. Vivès 33 447ss.

¹⁹³THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.6, a.7: ed. leon.6, 62.

ARGUITUR 2^o, quia passio auget meritum actus boni; ergo augebit demeritum peccati. Antecedens probatur quia tanto magis meretur qui eleemosynam praebet quanto ex maiore misericordia praebet.

3^o, quia in eo qui peccat ex passione est duplex peccatum, alterum eiusdem [f.366v] passionis, alterum alterius sceleris inde resultantem; ergo gravius peccat, idque constat exemplo illius qui ex passione irae interficit, in quo est duplex peccatum, ira et homicidium.

Nihlominus CERTA CONCLUSIO est: *passione minui gravitatem peccati*. Ita D. Gregorius 3 Pastoralis, admonitione 33¹⁹⁴, et 25 Moralium, c.11, initio¹⁹⁵; et habetur Capite *Sciendum, De poenitentia*, d.2¹⁹⁶; et colligitur ex D. Augustino, 14 De Civitate, c.12¹⁹⁷, dicente levius peccare eum qui graviori tentatione vincitur; est autem gravior tentatio passio vehementior, quamvis sint praeterea aliae tentationes; et Aristoteles, 7 Ethicorum, c.8¹⁹⁸ ait tanto levius esse peccatum quanto a vehementiori passione procedit. Colligitur ex lege *Respicendum*, ff. de poenis, § *Delinquunt*. Ita docet communis Scholastica, 2, d.43¹⁹⁹, disputans de peccato in Spiritum Sanctum, et 2, d.22²⁰⁰, et communis canonistarum dicto capite *Sciendum de poenitentia*, d.2²⁰¹.

RATIO A PRIORI EVIDENS est quia passio minuit voluntarium minuendo claritatem et certitudinem veri iudicii practici, et

¹⁹⁴GREGORIUS MAGNUS, *Regulae pastoralis liber*, 3, admonitio 33: PL 77 113s.

¹⁹⁵GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Iob*, 1.25, c.11: CCL 143B 1253; PL 76 339.

¹⁹⁶c.22, D.2, C.33, de poen.: Friedberg 1197.

¹⁹⁷AUGUSTINUS, *De civitate Dei libri XXII*, 1.14, c.12: CCL 48,433s.

¹⁹⁸ARISTOTELES, *Ethicorum, ad Nicomachum*, 1.7, c.8: Opera, Basilea 1563, 2^a pars, col.130.

¹⁹⁹PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.43: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.537.

²⁰⁰PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.22: ed. Quaracchi 1916, t.2, p.414.

²⁰¹c.22, D.2, C.33, de poen.: Friedberg 1197.

praeterea minuit libertatem, nam quantum voluntas incitatur a passione non movetur a se ipsa sed ab alio et ideo tantumdem amittit dominii in seipsum, et utraque ratio tangitur Sap 4 [12] dum dicitur *fastinatio nugacitatis obscurat bona et inconstantia concupiscentiae pervertit sensum sine malitia*, id est, sine illa discretione et advertentia mentis et sine illa pravitate quae peculiaris est voluntati quando peccatum ex studio et sine passione committitur.

1^o, hinc bene inferunt D. Thomas in praesenti; D. Antoninus, 1 p., tit.6, c.1, fine²⁰¹; Ricardus, 2, d.22, a.2, q.4²⁰²; limitandam esse conclusionem, ut procedat tantum in passione antecedente, quae videlicet voluntatem impellit ad peccatum; nam passio quae actum voluntatis consequitur non minuit sed potius auget gravitatem peccati quasi obiectum et actus exterior illius; unde qui ex industria se ipsum ad iram concitat tanto gravius peccat quanto vehementius concitat, quo sensu verum est tanto aliquem gravius peccare quanto maiori libidine et concupiscentia peccat.

2. Dubitabit quispiam cur D. Thomas nihil de passione concomittante dixerit. RESPONDEO: ut existimo ratio fuit quia nulla potest esse passio quae coexistat peccato et versetur circa idem obiectum et tamen non impellat voluntatem ad peccatum vel ut simpliciter committatur vel ut intensiori affectu committatur; quare passio semper se habebit ut antecedens saltem respectu intensioris illius voluntatis cui coexistit.

3. Caeterum, si daretur passio quae non antecederet nec consequenter sed tantum concomittanter [f.367] se haberet ad peccatum, illa nec auget nec minueret gravitatem, quod ut explicem OBIICIO, quia ignorantia non solum antecedens sed etiam concomittans et consequens minuit malitiam actus. Supra, a.3, dubio 4²⁰³, et a.4, conclusione 4²⁰⁴; ergo passio non solum

²⁰¹ANTONINUS, *Summa*, Prima pars, tit.VI, c.1: Lyon 1529, fol.76v.

²⁰²RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 1.2, d.22, a.2, q.4: Brescia 1591, p.279.

²⁰³*ArchTeolGran* 8(1945)81-88 (q.76, a.3, dub.4) *Utrum ignorantia concomittans excuset prorsus a culpa*.

antecedens sed etiam concomittans et consequens extenuat gravitatem peccati. RESPONDEO negando consequentiam nam ignorantia gravitatem minuit occultando malitiam, et propterea reddendo illam minus voluntariam, et quamvis ignorans ita dispositus sit ut actum eliceret quamvis sciret eius malitiam, nihilominus adhuc occultatur illi malitia et propterea est illi minus voluntaria, et eadem ratione passio non solum antecedens sed etiam concomittans minuet voluntarium et imputabile quatenus minuit vel aufert cognitionem malitiae, verumtamen supposita aequali cognitione malitiae adhuc passio antecedens minuit imputabilitatem, et passio concomittans non minuit quia passio supposita aequalitate cognitionis non alia ratione minuit malitiam nisi quatenus impellit voluntatem, et propterea non sinit esse plene dominam sui, et hoc non habet passio prorsus concomittans, nam si voluntate[m] impelleret ad actum eo ipso esset antecedens.

4^o QUAERITUR an infirmitas seu passio gravitatem peccati minuatur magis quam ignorantia. RESPONDEO: caeteris paribus peccatum ex ignorantia procedens levius est quam peccatum ex passione. Ita D. Augustinus, 6 Contra Iulianum, cap.5²⁰⁵; Isidorus, 2 De summo bono, c.17²⁰⁶; D. Gregorius, 25 Moralium, c.11 initio²⁰⁷; relatus capite *Sciendum*, de poenitentia, d.2²⁰⁸, ubi Glossa; Alexander, 2 p., q.163, mem.3²⁰⁹; D. Bonaventura²¹⁰, Ricardo²¹¹ et Gabriel, 2, d.22

²⁰⁴ArchTeolGran 8(1945)113 (q.76, a.4, concl.4).

²⁰⁵AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem libri sex*, 6, c.5: Basilea 1542, col. 1123; PL 44 851.

²⁰⁶ISIDORUS HISPALENSIS EPISCOPUS, *Sententiarum libri tres*, 1.2, c.17: PL 83 620.

²⁰⁷GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Iob*, 1.25, c.11: CCL 143B 1253; PL 76 339.

²⁰⁸c.22, D.2, C.33, de poen.: Friedberg 1197.

²⁰⁹ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2^a pars, 2, q.163, mem.3: ed.1516, fol.350.

²¹⁰S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.22: Quaracchi, t.2 (1885), p.527.

²¹¹RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 1.2, d.22, a.2, q.3: Brescia 1591, p.278.

versus finem, sed Gabriel, q.2²¹²; Corduba, 2 Quaestionarii, q.29.

RATIO est quia in peccato ex passione seclusa ignorantia aut minori consideratione, voluntas fertur directe et expresse in malitiam, et illam amplectitur, quamvis sine pleno dominio sui actus, unde ratio voluntarii quae abstrahit a libertate parum minuitur in peccato ex passione licet magis minuatur libertas et imputabilitas, at vero in peccato ex ignorantia valde minuitur voluntarium quia voluntas non directe sed indirecte fertur in malitiam, ut explicatum est in q.76²¹³. Et inde provenit ut minus libere feratur.

Ad 1^{um} argumentum D. Thomas RESPONDET distinguendo maiorem, nam fortior causa per se producit effectum maiorem at vero causa per accidens, quamvis sit fortior non semper producit maiorem effectum; passio autem licet sit causa per se positivae conversionis ad obiectum, nihilominus non est causa per se sed per accidens aver- [f.367v] -sionis a Deo et malitiae in qua praecipue et formaliter consistit peccati gravitas.

Contra hanc conclusionem Caietanus OBIICIT quia gravitas peccati sumitur ex obiecto, supra, q.73, a.3²¹⁴; ergo ex conversione et non ex aversione sumitur gravitas; sed passio auget conversionem; ergo auget gravitatem. RESPONDEO negando primam consequentiam, nam gravitas peccati sumitur praecipue et formaliter ab obiecto quod contemnitur et a quo receditur et minus principaliter et quasi ex radice ex obiecto ad quod voluntas convertitur, ut ibidem explicatum est. Fere in idem redeunt solutiones Caietani²¹⁵ et Medinae²¹⁶ hic.

²¹²GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, 1.2, d.22, q.2: Editio Tubinga, t.II, 1984, p.452.

²¹³*ArchTeolGran* 8 (1945) 132-237.

²¹⁴THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, q.73, a.3: ed.leon. 7 27b.

²¹⁵THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 2, q.77, a.6: Opera Sti. Thomae, ed.leon. 7 68.

²¹⁶B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.73, a.3: Venecia 1602, p.378b.

Sed URGEBIS: ex conversione sequitur aversio; sed passio causat maiorem conversionem; ergo maiorem aversionem. RESPONDEO: passio, sicut causat intensiorem actum conversionis ita causat aversionem intensiorem in esse physico, verumtamen a D. Thoma in praesenti accipitur non in esse physico actus aut privationis sed in esse morali imputabiliter recedentis a Deo, et haec imputabilitas non sequitur praecise ex conversione sed ex conversione et libertate simul, unde passio cum minuat libertatem minuit imputabilitatem aversionis, et ea ratione levius est peccatum. Vide dicta q.75, a.3.

Ad 1^{am} confirmationem RESPONDEO ex D. Thoma ad 3, distinguendo antecedens, nam passio producit actum voluntatis intensiorem in esse actus tantum sed non in esse liberi, hoc est non producit magis liberum, quod D. Thomas appellat esse actum minus proprium voluntatis, cuius proprium est libere agere. — Sed DIFFICULTAS restat, quia actus magis voluntarius et magis intensus est gravioris culpa quamvis non sit magis liber; ergo passio auget culpam causando volitionem magis intensam, et augmentum ex hoc capite proveniens videtur esse maius quam decrementum culpa quod provenit ex minori libertate existente in passione; ergo absolute passio auget culpam et non minuit. RESPONDEO: de gravitate culpa plus detrahitur per passionem quam additur ex intensione actus, quia quamvis ex intensione actus addatur magis de voluntario, nihilominus per passionem minuitur de voluntario et libero, nam de voluntario minuitur quatenus obscurior et remissior redditur cognitio boni et mali, de libero autem minuitur quatenus voluntas[tem] per passionem impellit, quae duo decreta simul sumpta praeponderare videntur incremento intensionis, quare non solum quando aequalis est intensio actus levius est peccatum ex passione quam sine passione commissum sed etiam quando passio auget intensionem actus. [f.368]

Ad 2^{am} confirmationem RESPONDEO: passio auget voluntarium respectu illius tantum boni quod appetit passio; nihilominus respectu malitiae quae coniuncta est cum eodem obiecto quamvis passio augeat aliquo modo voluntarium quantum auget

intensionem malae volitionis, verumtamen etiam minuit voluntarium modo iam explicato.

Ad 2^{um} argumentum D. Thomas RESPONDET negando antecedens et misericordia, si fuerit passio appetitus antecedens actum voluntatis non augebit eius meritum, quod tamen augebit si misericordia fuerit actus voluntatis aut passio voluntatem consequens.

Ad 3 RESPONDEO negando antecedens proprie loquendo, sed solum sunt duae quasi partiales formalitates eiusdem peccati. Deinde, sive sint duo peccata sive unum illa duo non efficiunt peccatum gravius quam esset unum peccatum scienter et sine passione, ut in simili dictum, q.76, a.4, argumento 3²¹⁷.

Articulus 7

Utrum passio totaliter excuset a peccato

1^o. CONCLUSIO CERTA: *non omnis passio totaliter excusat a culpa*. Ut docet D. Augustinus, 1 Retractationum, c.18²¹⁸, et 3 De libero arbitrio, c.18²¹⁹; D. Gregorius, citatus in praecedenti articulo; et D. Thomas colligit ex Paulo ad Romanos 7 [5], appellante *passiones peccatorum* illas quae peccatorum causae sunt. RATIO autem est quia plerumque passio relinquit libertatem simpliciter quamvis illam minuat. Vide sequentem articulum.

2^a CONCLUSIO: *aliqua passio prorsus excusat a peccato, scilicet quae prorsus libertatem aufert*, ut contingit iis qui prae amore aut ira insaniunt; limitatur autem conclusio: *dummodo passio illa non fuerit volita*.

3^o. *Si autem passio iudicium rationis opprimens voluntaria fuerit in causa, quo modo peccata ex illa passione provenientia*

²¹⁷Archivo Teológico Granadino 8 (1945) 234.

²¹⁸AUGUSTINUS, Retractationum, 1 19 (XVIII): CCL 57 55s; PL 32 614.

²¹⁹AUGUSTINUS, De libero arbitrio libri tres, 1,3, XVII: CCL 29,304; PL 32,1295.

imputentur ad culpam, dictum est in simili q.76, a.3, dubio 2²²¹.

Articulus 8

Utrum peccatum ex passione possit esse mortale

CONCLUSIO AFFIRMATIVA: est quam D. Thomas PROBAT ex Paulo ad Romanos 7 [5], dicente *passiones peccatorum operantur in membris nostris ad fructificandum morti*, quod etiam constat in adulterio Davidis quod licet ex passione processerit, nihilominus illius auctor decernitur esse *filius mortis*, id est, morte dignus, 2 Regum 12 [5]. RATIO est quia passio relinquit rationi potestatem deliberandi simpliciter circa consensum. Caetera in D. Thoma constant.

²²¹ *Archivo Teológico Granadino* 8 (1945) 198.

[f.368v]

Quaestio 78
De causa peccati quae est malitia

Articulus 1
Utrum aliquis peccet ex certa malitia

Praecipue explicare oportet quid sit peccatum ex certa malitia, de cuius nominis acceptatione dissentiunt Doctores aliqui sed in re conveniunt fere omnes praeter Scotum qui, 2, d.43, q.2²²¹, existimat, quamvis sub dubio, voluntatem aliquando velle malum sub ratione mali, ita ut nulla ratione boni veri aut apparentis moveatur; et tunc ait peccatum committi ex certa malitia. Idem Occamo et quibusdam aliis tribuit Almain, 3 Moralium, c.27²²².

Hanc sententiam impugnare non est huius loci, sed q.8²²³, ubi ostenditur voluntatem nihil posse appetere nisi sub aliqua ratione boni.

2^o. Alii existimant peccatum ex certa malitia esse in quo directe amatur malitia quamvis non ut obiectum formale sed ut materiale propter aliquam apparentem bonitatem in tali malitia repertam, ut quia malitia apprehenditur quasi vindicta accipienda de Deo vel ut signum maioris libertatis. Ita Almain, 3 Moralium, cap.27, sub disiunctione²²⁴. Et negari non potest quin huiusmodi peccatum habeat peculiarem rationem propter quam dicatur esse ex malitia proprius quam reliqua omnia, ut recte Peltanus, libro De originis peccato, tract.17, fine. Nihilominus nomen peccati ex malitia latius patere oportet, ut complectatur ea omnia peccata

²²¹JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.43, q.2: ed Vivès, 13, 493s.

²²²JACOBUS ALMAIN, *Moralia quae vocatur*, 1.3, c.27: Paris 1526, fol.cxxii.

²²³THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 2, q.8: ed.leon.6 68.

²²⁴JACOBUS ALMAIN, *Moralia quae vocatur*, 1.3, c.27: Paris 1526, fol. CXXIIv.

quae non sunt ex ignorantia nec ex passione. Alias diminuta erit receptissima divisio peccati secundum causas interiores in peccatum ex ignorantia, ex passione et ex malitia.

3^o. Dicunt alii peccatum ex malitia esse quod fit ex inclinatione voluntatis sive inclinatio sit naturalis sive acquisita ut habitus. Ita Almain²²⁵ citatus, sub disiunctione. Et haec sententia vera est, ut constabit in 2^o et 3^o articulo, verumtamen sententia sequens magis explicat radicem et essentiam huius peccati.

Sit ergo CONCLUSIO: *peccatum ex malitia essentialiter consistit in hoc quod totaliter procedat a voluntate ut a causa se determinante, ita ut non detur aliqua alia causa quae voluntatem inclinet ad peccandum.* Ita Aristoteles, 7 Ethicorum, c.8²²⁶, ubi D.Thomas, lectione 8²²⁷, et in praesenti articulo, ubi Conradus²²⁸, Caietanus²²⁹ et alii expositores; Alexander, 2 p., q.163, mem.1 et 2²³⁰; D.Antoninus, 1 p., tit.6, c.1, § 2²³¹; et communiter Scholastici, 2, d.43²³², ubi Bonaventura, a.2, q.1²³³; Durandus²³⁴; et Aegydius, q.1, a.1²³⁵; Ricardus, q.1,

²²⁵JACOBUS ALMAIN, *Moralia quae vocatur*, 1.3, c.27: Paris 1526, fol.122v.

²²⁶ARISTOTELES, *Ethicorum, ad Nicomachum*, 1.7, c.8: Opera, Basilea 1563, 2^a pars, col.130.

²²⁷THOMAS AQUINAS, *In X libros ethicorum ad Nicomachum*, 1.7, lect.8: ed. Vivès, 25 349.

²²⁸CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primam Secundae. S.Th. Aq.*, q.78, a.1: Venecia 1589, p.611.

²²⁹THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 2, q.78, a.1: Opera Sti. Thomae, ed.leon. 7 72.

²³⁰ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2^a pars, 2, q.163, mem.1, 2: ed.1516, fol.349.

²³¹ANTONINUS, *Summa*, Prima pars, tit.VI, c.1, § 2: Lyon 1529, fol.76.

²³²PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.43: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.533.

²³³S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.43, a.2, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.987.

²³⁴DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.43, q.1: Amberes 1566, fol.204v, n.7.

²³⁵AEGYDIUS COLUMNA ROMANUS, *In librum secundum Sententiarum*,

a.1²³⁶; Gabriel, notabili 2²³⁷; Adrianus, Quodlibeto 4, a.1²³⁸; Corduba, [f.369] 2 Quaestionarii, q.8, prope 3. Imo, et Scotus citatus hanc sententiam tenendam esse dicit si voluntas non potest amare aliquid sub ratione mali.

COLLIGITUR ex Patribus adducendis infra, a.4, et ex illis verbis Ps 36, [2] *dixit iniustus ut delinquat in semetipso non est timor Dei ante oculos eius*. Ubi verbum *dixit* significat electionem et decretum ex plena libertate, sicut: *dixi custodiam vias meas* [Ps 38,2] et alibi: *dixi confitebor adversum me iniustitias meas Domino* [Ps 31,5].

PROBAT D. Thomas, quia peccare ex malitia est peccare ex industria, ut Iob 34 [27] *quasi ex industria receserunt a Deo*; atqui peccare ex industria est scienter et non ex aliqua passione, sed ex mera electione voluntatis peccare.

2^o PROBATUR, quia divisio peccati in peccatum ex ignorantia, ex passione et ex malitia sumitur secundum causas interiores peccati; sed quando causa peccandi est defectus cognitionis dicitur peccatum ex ignorantia, et quando causa peccandi est appetitus sensitivus dicitur peccatum ex passione; ergo quoties nec passio nec ignorantia causa fuerint, sed sola voluntas se impulerit tunc erit peccatum ex malitia, quia bonitas aut malitia ad voluntatem primario pertinet. CONFIRMATUR 1^o, quia tunc non excusat passio vel ignorantia; ergo est maior malitia. CONFIRMATUR 2^o, quia propterea D. Clemens, libro 8 De charismatibus et ordinationibus²³⁹ peccatum daemonis appellat voluntariam mentis malitiam, quod bene notat Turria ibi non peccavit demon ex ignorantia vel ex passione ratione quarum minus voluntarium esset peccatum sed fuit prorsus voluntarium ex electione atque

d.43, q.2, a.1: Venecia 1581, pars 2^a, pág.«664».

²³⁶RICARDUS DE MEDIÁVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, I.2, d.43, a.1, q.1: Brescia 1591, p.520.

²³⁷GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, I.2, d.43, q.un., a.1, notab.2: Editio Tubinga, t.II, 1984, p.704.

²³⁸HADRIANUS SEXTUS, *Quaestiones Quolibeticae*, Quaestio 4: Padua 1522 (Reprod. New Jersey 1964) fol. 20.

²³⁹PSUDO CLEMENTE ROMANO, *Constitutiones Apostolicae*, libro 8, De charismatibus et ordinationibus, c.7: PG 1 1079.

adeo ex malitia. Haec habentur inter Concilia edita iussu Sixti V, tomo 1, pag.256.

Quod si OBIICIAS 1^o: omnis qui peccat, ex ignorantia peccat; ergo nullus peccat ex malitia. — D. Thomas hic ad 1, et Caietanus²⁴⁰ RESPONDENT distinguendo multiplicem ignorantiam. Verumtamen absolute negandum esse antecedens constat ex dictis supra, q.76, a.1, dubio 1²⁴¹; quae solutio expedita est a pluribus quaestionibus quibus impedita est solutio D. Thomae et Caietani.

OBIICIAS 2^o, quia peccatum ex malitia est cuius causa est malitia; si autem malitiam intelligas actum voluntatis, iam nullum poterit esse peccatum ex malitia nisi ante illud praecedat aliud peccatum, et rursus de illo peccato praecedenti inquiri utrum sit ex malitia; si enim non fuerit ex malitia erit ex passione aut igno- [369v] -rantia; unde omnia peccata reducuntur ut in primam radicem in passionem et ignorantiam.

Petitur hoc argumento quae sit malitia quae causa est peccati, et ex D. Thoma hic ad 3, et in a.3, colligo quinque malitias quae possunt dici causae peccatorum:

1^a est vitiosus habitus voluntatis inclinans ad actum peccati, et de hac causa dicitur in a.2.

2^a malitia est unum peccatum actuale quod est alterius causa.

3^a causa est aegritudinalis dispositio corporis, de qua in a.3.

4^a, negatio timoris vel spei vel similis alterius prohibentis, de qua in eodem a.3.

5^a malitia a qua primario et per se denominatur peccatum est malitia, non utcumque sed ut per se solam sine impulsu alterius causae determinat se ad peccandum, et voluntas sub hac formalitate propterea malitiae nomen sortitur quia tunc longe deterior est, ut infra, a.4.

4^o, INQUIRET aliquis utrum peccatum ex malitia specie differat a reliquis. Et quod attinet ad peccata scienter facta ex passione constat non differre specie a peccato ex malitia, ut bene D.

²⁴⁰THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 2, q.78, a.1: *Opera Sti. Thomae*, ed. leon. t.7, p.72.

²⁴¹*Archivo Teológico Granadino* 8 (1945) 133-150.

Thomas, a.2 ad 2, ubi Conradus²⁴³ et Caietanus²⁴⁴. Et RATIO est quia omnia haec peccata possunt habere eundem finem cum eadem appetitione et cum oppositione contra idem honestum et idem praeceptum. CONFIRMATUR quia peccans ex passione acquirit habitum quo postea sine passione inclinatur ad peccatum, et tunc peccat ex malitia, et tamen est eadem species actus siquidem ab eodem habitu procedit. De peccatis autem ex ignorantia utrum differant a peccatis scienter factis dictum est q.76, a.3, dubio 7²⁴⁵.

Articulus 2

Utrum quicumque peccat ex habitu peccat ex certa malitia

Affirmat D.Thomas in praesenti, D. Antoninus, 1 p., tit.6, c.1, § 2²⁴⁶; Aegydius, 2, d.43, q.1, a.1²⁴⁷; Durandus ibidem²⁴⁸; Corduba 2 Quaestionarii, q.8 prope 3.

PROBATUR quia, qui peccat ex habitu operatur ex electione nam habitus inclinat voluntatem ad eligendum libere, ex Aristotele, 6 Ethicorum, c.2²⁴⁹. CONFIRMATUR quia per habitum vitiosum inclinatur homo inordinate in aliquod bonum inferius et propterea idem bonum redditur magis conveniens homini et quodammodo secundum naturam illius, nam consuetudo et habitus est altera natura et inde fit ut per voluntatem malum eligat ut bonum illud obtineat.

²⁴³CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primam Secundae. S.Th. Aq.*, q.78, a.2 ad 2: Venecia 1589, p.614.

²⁴⁴THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 2, q.78, a.2 ad 2: Opera Sti. Thomae, ed. leon. t.7, p.73.

²⁴⁵*ArchTeolGran* 8 (1945) 216-225.

²⁴⁶ANTONINUS, *Summa*, Prima pars, tit.VI, c.1, § 2: Lyon 1529, fol.76.

²⁴⁷AEGYDIUS COLUMNA ROMANUS, *In librum secundum Sententiarum*, d.43, q.2, a.1: Venecia 1581, pars 2^a, pág.«664».

²⁴⁸DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.43, q.1: Amberes 1566, fol.204v, n.7.

²⁴⁹ARISTOTELES, *Ethicorum, ad Nicomachum*, 1.6, c.2: Opera, Basilea 1563, 2^a pars, col.106.

1^o OBSERVANDUM est contra Conradum, Medina²⁴⁹ et Zumel, in praesenti sermonem esse tantum de habitu voluntatis, et non de habitu appetitus sensitivi, quoniam sensitivi appetitus habi- [f.370] -tus non inclinatur voluntatem ad peccandum nisi excitando prius passionem appetitus sensitivi, etenim nullus habitus inclinatur immediate et per se ad operandum nisi potentiam in qua est; sed peccatum quod fit a voluntate impellente passione appetitus, sive passio procedat ex habitu appetitus sive non, constat non esse peccatum ex malitia; ergo quodcumque peccatum procedens ex habitu appetitus sensitivi non est peccatum ex malitia formaliter loquendo.

2^o. Cum audis peccatum ex habitu esse peccatum ex malitia intellige sermonem esse formalem et essentialem ita ut modus peccandi ex habitu essentialiter includat modum peccandi ex malitia, quia essentialiter includit peccare ex solo impulsu voluntatis.

3^o OBSERVAT D. Thomas aliud esse peccare hominem affectum habitu aliud vero peccare ex habitu, nam peccat aliquando is qui habitu affectus est et non peccat ex habitu, id est non peccat motus et impulsus ab habitu sed a passione vel ignorantia, et ille non peccat ex malitia.

Cuius occasione disputat Medina²⁵⁰ utrum habitus necessario impellat ad operandum ita ut non sit in potestate hominis se continere ab exercitio et de gratiae merito et necessitate amandi vel videndi Deum in gloria miscet aliqua quibus praetermissis, quod ad praesens attinet de omnibus habitibus viatorum testatur experientia quod possimus aliquando cessare ab actu cuiusque habitus et exercere actum cuius non habemus habitum.

Et rursus certum est quod quicumque habet habitum v.g. iustitiae et vult elicere actum iustitiae, ex suppositione quod eliciat actum iustitiae non potest non uti habitu iustitiae quo praeditus est. Quod PROBO quia non est alius modus applicandi nos ad

²⁴⁹B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.78, a.2: Venecia 1602, p.415a.

²⁵⁰B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.78, a.2: Venecia 1602, p.415s.

utendum habitibus nisi eliciendo actum ad quem ex sua natura ordinatur habitus nec est in nostra potestate exercere actus iustitiae reiiciendo concursum habitus iustitiae existentis in voluntate. Ita D. Thoma licet videatur oppositum docere; verumtamen non docet, cum solum asserat contingere posse ut aliquis non determinetur ad operandum praecise ex habitu sed simul ex passione vel ignorantia. Nihilominus etiam in illo concurrat habitus simul cum passione vel ignorantia, et non propterea peccatum erit ex malitia, quia voluntas non determinat se ipsam virtute solius habitus sed dependenter a passione vel ignorantia.

Quod autem licet voluntas affecta sit habitu possit operari non totaliter determinata a se et ab habitu sed dependenter a passione vel ignorantia inde PROBAT D. Thomas quia possumus non elicere actum ad quem inclinatur habitus; ergo possumus non elicere nisi dependenter a passione vel ignorantia.

4^o. Quamvis habitus voluntatis acquisitus fuerit per peccata ex passione, si tamen aliquando [f.370v] voluntas elicit actum non impulsus ab ulla passione praesenti sed a solo habitu relicto in voluntate erit peccatum ex malitia quia tunc nec passio nec ignorantia datur a quibus procedat.

Articulus 3

Utrum quicumque peccat ex certa malitia peccet ex habitu

Negativa est certa, quam cum D. Thoma in praesenti docent omnes eius discipuli. D. Antoninus, 1 p., tit.6, c.1, § 2²⁵²; Durandus, 2, d.43, q.1, ad 1²⁵³, ubi Aegydius, q.2, a.2²⁵⁴; Corduba, 2 Quaestionum, q.8.

²⁵²ANTONINUS, *Summa*, Prima pars, tit.VI, c.1, § 2: Lyon 1529, fol.76.

²⁵³DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sent. Theol. Petri Lombardi Comment. libri quatuor*, 2, d.43, q.1: Amberes 1566, fol.204v, n.7.

²⁵⁴AEGYDIUS COLUMNA ROMANUS, *In librum secundum Sententiarum*, d.43, q.2, a.2: Venecia 1581, pars 2^a, pág.674s.

PROBATUR, quia nihil prohibet quominus aliquis antequam acquirat vitiosum habitum furandi velit furari quamvis nec ignoret furti malitiam nec passione appetitus incitetur. CONFIRMATUR in daemone quia nec ex ignorantia nec ex passione nec ex habitu peccavit, et tamen peccavit ex malitia.

Sed OBICIENS ex Origene, 1^o Peri archon, c.3 circa finem²⁵⁵, dicente non ad subitum quis evacuatur aut deficit sed paulatim per partes defluere necesse est; ergo non perveniet quis ad peccatum ex malitia nisi praecesserint peccata ex passione quibus fuerit acquisitus habitus. RESPONDEO: sententia Origenis regulariter vera est, falsa tamen in daemone et paucis hominibus. RESPONDEO 2^o: ut aliquis paulatim et per incrementa perveniat ad homicidium ex malitia committendum non est necessarium prius occidisse aliquem ex passione et inde acquisivisse habitum occidendi sed satis erit prius paulatim defluxisse in alia peccata ex specie leviora unde contemnat postea homicidium. Utraque solutio colligitur ex D. Thoma, 2^a 2^{ae}, q.14, a.4, corpore²⁵⁶. Aliter RESPONDET D. Thomas, hic ad 2.

OBICIENS 2^o, quia voluntas ex se inclinatur ad bonum rationis; ergo ut seclusa passione et ignorantia feratur ad malum necessarium est inclinari ad peccatum ex habitu malo. PROBATUR CONSEQUENTIA, quia necessarium est aliquid quod voluntatem inclinet ut eligat oppositum illius boni quod voluntati est magis connaturale, et non videtur esse aliud quod inclinet nisi habitus malus; quare omne peccatum ex malitia erit ex habitu. RESPONDEO 1^o negando consequentiam et ad eius probationem negando antecedens; imo voluntatis creatae libertas in eo constituta est quod possit relinquere obiectum sibi magis conveniens et quasi connaturale etiamsi aliunde non inclinatur ad oppositum, sicut daemones sine ignorantia, sine habitu voluntatis, sine passione aut aegritudinali dispositione corporis elegerunt transgressionem divini praecepti. RESPONDEO 2^o: si bonum rationis ad quod per se et naturaliter inclinatur voluntas esset

²⁵⁵ORIGENES, *Peri Archon*, 1.1, c.3: PG 11 155 C.

²⁵⁶THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiae*, 2 2, q.14, a.4 c: ed. leon. 8 117.

perfectissime applicatum per evidentissimam cognitionem [f.371] dari posset tunc antecedens quod voluntas indigeret aliquo habitu inclinante; sed plerumque cognitio boni honesti remissior et obscurior est quam cognitio boni delectantis quod allicit ad peccandum. 3^o, huc spectat quod D. Thomas in corpore et ad omnia argumenta asserit ad peccandum ex malitia semper supponi in homine aliquam indispositionem ratione cuius inclinatur ad peccandum, verum illam indispositionem non semper, inquit, est habitus sed vel mala complexio corporis vel remotio impediens timoris vel spei.

Sed in hac doctrina D. Thomae oportet annotare duo: —alterum est ad peccandum ex malitia non exigi ullam dispositionem positivam sive animae sive corporis quae mala sit, imo nec dispositio privativa determinate exigitur, quare nec exigitur determinate ut qui peccat non timeat gehennam nec speret gloriam, nam hae dispositiones proponuntur a D. Thoma exempli causa et ratio ipsa docet non esse impossibile aliquem ex mera electione peccare licet timeat, speret et liber sit ab habitu, passione et ignorantia. Ergo D. Thomas vult requiri remotionem alicuius prohibentis vage; nullus enim tanta malitia peccat qui non cohiberetur a peccando si in eius voluntate esset intensissimus amor Dei vel in intellectu peculiaris illustratio cum intimo sensu mysteriorum fidei.

—alterum est quomodo sit peccatum ex malitia quod provenit ex aegritudinali habitudine corporis. Et DICENDUM est 1^o non satis esse peccatum ex malitia, quia non prorsus provenit ex voluntate secundum liberam electionem illius, siquidem aliquid libertatis minuit dispositio corporis ratione cuius convenientia videntur quibusdam quae secundum se non sunt convenientia, ut late D. Thomas supra, q.31, a.7²⁵⁷; Caietanus²⁵⁸ et Medina²⁵⁹ in praesenti; D. Thomas et D. Antoninus et Corduba in principio

²⁵⁷THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.31, a.7: ed. leon.6, 221.

²⁵⁸THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1 2, q.78, a.3: Opera Sti. Thomae, ed. leon. t.7, p.74.

²⁵⁹B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.78, a.3: Venecia 1602, p.417a.

citati. — Quare huiusmodi peccatum non est tantae gravitatis ut alia peccata ex malitia, quamvis gravius sit quam peccatum ex passione, propter rationes dicendas in sequenti articulo.

DICENDUM est 2^o: peccatum proveniens ex aegritudinali dispositione corporis magis pertinet ad peccatum ex malitia quam ad peccandum [*sic*] ex passione, etenim colericis adustis v.gr., etiam si nullam passionem in appetitu sensitivo habeant, propter solam dispositionem corporis et qualitatem spirituum in quibus recipiuntur species corporeae in imaginativa et ex consequenti in intellectu, [f.371v] repraesentatur bellum ut magis conveniens quam repraesentatur phlegmaticis sanguineis, et eorum voluntas magis inclinatur ad bellum, quia voluntas est appetitus huius hominis inclinatus non solum in bonum rationis sed etiam in bonum huius hominis illi conveniens secundum dispositionem corporis et animae, et propterea tale peccatum provenit ex voluntatis natura ut inclinatur ad bonum particulare huius hominis et non provenit ex appetitu sensitivo et deceptione intellectus. Aliter Corduba citatus et aliter Medina²⁵⁹ in praesenti.

Articulus 4^{us}

Utrum ille qui peccat ex certa malitia gravius peccet quam qui ex passione

Affirmativa CONCLUSIO colligitur ex Iob 34 [26s] *quasi impios percussit eos in loco videntium qui quasi de industria receserunt ab eo*, ubi gravior aliqua poena quaecumque illa sit innuitur inflicta esse iis qui ex studio peccant, ut notat D. Thomas in praesenti, et clarius colligitur ex Num 15 [30] ubi postquam assignata sunt sacrificia ad expianda peccata ex ignorantia dicitur: *anima quae per superbiam aliquid commiserit peribit de populo suo*, ubi Augustini Glossa observat pro hac culpa nullum sacrificium sed vindictam assignari, quia nec propter ignorantiam nec propter passionem redditur levior. Sic D. Gregorius, 3 parte Pastoralis,

²⁵⁹B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.78, a.3: Venecia 1602, p.415bs.

admonitione 33²⁶⁰, de peccato ex malitia intelligit illud Ieremiae 4 [4] *ne forte succendatur indignatio mea super vos et non sit qui extinguat propter malitiam studiorum vestrorum*. Eandem conclusionem docet D. Augustinus, libro 83 quaestionum, q.26²⁶¹; Gregorius, 25 *Moralium*, c.11²⁶²; Ricardus de Sancto Victore, libro *De statu interioris hominis*, tract.2, c.3 et 4²⁶³; Isidorus, 2 *De summo bono*, c.17²⁶⁴; et communiter Doctores scholastici citati in a.1 huius quaestionis et praecedentis.

RATIONE PROBAT D. Thomas, 1^o, quia peccatum ex malitia est magis voluntarium et liberum quam peccatum ex passione et ignorantia; ergo est magis imputabile.

2^o PROBAT, quia ille qui peccat ex certa malitia est male dispositus quantum ad ultimum finem, quia non amat finem sed contemnit; sed ille qui peccat ex passione, licet propter passionis impetum intermittat propositum ultimi finis, ad illum redit passionis vi²⁶⁵ remittente; atqui prior morbus est peior et periculosior, quia est circa ultimum finem qui est veluti cor et principium vitae [f.372] moralis. — Hic peculiaris affectus in malum, et odium atque contemptus boni, notatur Ps 72 [(73)] [7] *prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis*, et Ps [35] (36) [3s] *non est timor Dei ante oculos eius quoniam dolose egit in conspectu eius ut inveniatur iniquitas eius ad odium*, cuius versus extrema verba, quae, licet a quibusdam ita intelligantur ut iniquus sit exosus Deo et hominibus, caeterum per malum sensum alium esse ostendunt verba sequentia [vers.5] *malitiam autem non odivit*; unde sensus erit iniquitatem eo

²⁶⁰GREGORIUS MAGNUS, *Regulae pastoralis liber*, 3, admonitio 33: PL 77 115.

²⁶¹AUGUSTINUS, *De diversis quaestionibus octoginta tribus*, q.26: CCL 44A 32; PL 40 18.

²⁶²GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Iob*, 1.25, c.11: CCL 143B 1253; PL 76 339.

²⁶³RICARDUS SANCTI VICTORIS, *De statu interioris hominis*, tract.2, c.3,4: PL 196 1148s.

²⁶⁴ISIDORUS HISPALENSIS EPISCOPUS, *Sententiarum libri tres*, 1.2, c.17: PL 83 620.

²⁶⁵En el ms repite *ad illud redit passionis vi* .

pervenisse ut a peccatis ad virtutem odium transferatur, quam gravitatem peccati ex malitia ostendit bene Gregorius in citata verba Iob, 34, libro 25, cap.10²⁶⁶.

Praecedentes duae rationes omnibus peccatis ex malitia communes sunt; sequentes vero peculiare sunt peccatis ex habitu.

3^a ergo RATIO est, quia peccatum ex habitu est magis continuum sine intermissione, unde Aristoteles, 7 Ethicorum c.4²⁶⁷, intemperatum qui peccat ex malitia comparat phthisico vel hydropico, at vero incontinentem qui peccat ex passione comparat aegroto laboranti morbo intermittente ut quartana aut tertiana febris.

Ex praecedenti sequitur 4^a RATIO, ex eodem Aristotele, quia scilicet, peccans ex habitu non facile poenitet peccati sicut peccans ex passione poenitet transeunte passione, quare, ad eos qui ex malitia peccant pertinet illud Pauli ad Romanos 2 *ignoras quod patientia Dei ad Poenitentiam te adducit, tu autem secundum duritiam tuam et impenitens cor tuum thesaurizas tibi iram*, et impenitentiae causa est quia consuetudo versa sit in naturam; unde quandoque dicitur malitia esse naturalis et immutabilis, ut Sapientia 12 [10s], de naturalibus Palestinae *quoniam iniqua est natio illorum et naturalis malitia illorum et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum, semen enim erat maledictum ab initio*.

De difficultate vincendi consuetudinem peccandi vide Augustinum, libro Contra Fortunatum, disputatio 2²⁶⁸; et 8 Confessionum, c.5²⁶⁹; ubi ex consuetudine peccandi pervenire dicit necessitatem cui non possumus resistere, sed necessitatem

²⁶⁶GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Iob*, 1.25, c.10: CCL 143B 1251; PL 76 337.

²⁶⁷THOMAS AQUINAS, *In X libros ethicorum ad Nicomachum*, 1.7, lect.8: ed. Vivès, 25 349.

²⁶⁸AUGUSTINUS, *Acta seu disputatio contra Fortunatum Manichaeum*, d.2: PL 42 121.

²⁶⁹AUGUSTINUS, *Confessionum libri tredecim*, 1.8, V: CCL 27 119; PL 32 753.

intellige non simpliciter sed secundum quid, id est, summam difficultatem.

Inde sequitur RATIO 5^a, ut scilicet qui ex habitu peccat contemnat et non erubescat peccata, ut Ez 31 [Ierem 3,3] *frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*; et Prov 18 [3] *impius, cum in profundum peccatorum venerit contemnit*; quod Beda²⁷¹ [f.372v] ibi ita explicat ut ex multitudine peccatorum desperatio resurgendi et ex desperatione contentus oriatur; et idem, Bernardus, sermone 56 in Canticum²⁷², versus finem; et Augustinus, serm.88 de tempore²⁷³, qui in homilia 28, prope initium²⁷⁴, explicat exemplo vulneris nullum dolorem afferentis.

Et quidem spes veniae occasio est aliquando peccandi verumtamen ut plurimum magis effrenate in peccata ruunt qui veniam desperant, ut optime Augustinus, tomo 4 De vera et falsa poenitentia, cap. 5 et 6 et 7²⁷⁵, et tomo 8, qui in id Psalmi 101 [10] *cinerem tanquam panem manducabam et potum meum cum fletu miscebam*²⁷⁶.

6^a RATIO: quia ex desperatione et contemptu sequitur gaudere de peccatis, secundum id Proverbiorum 2 [13] *qui laetantur cum male fecerint*; et docet D. Hieronymus in cap. 5 Amos²⁷⁷, in id *quaerite bonum et non malum*, et D. Thomas, supra, a.2 ad 3.

Denique peccandi consuetudinem D. Hieronymus in cap.1 Amos²⁷⁸ existimat esse quartum illud scelus super quo peccator non sit convertendus. Idem Glossa²⁷⁹ ibi ex Theodoro²⁸⁰, et

²⁷¹VENERABILIS BEDA, *Super parabolas Salomonis allegorica expositio*, c.18: PL 91 991.

²⁷²BERNARDUS, *Sermones super Cantica Canticorum*, sermo 56: ed. Cisterciensis, Roma 1958, t.2, p.117, III. 6.

²⁷³AUGUSTINUS, *Sermo 88 de tempore*: Basilea 1543, tom.10. col.783.

²⁷⁴AUGUSTINUS, *Homilia 28*: Basilea 1543, tom.10. col.485.

²⁷⁵PSEUDOAGUSTINUS, *De vera et falsa poenitentia*, c.5,6,7: PL 40 1115-1119.

²⁷⁶AUGUSTINUS, *Enarrationes in Psalmos*, In Ps 101 sermo 1: CCL 40 1433; PL 37 1301.

²⁷⁷HIERONYMUS, *In Amos prophetam*, c.5, v.14: PL 25 1098.

²⁷⁸HIERONYMUS, *In Amos prophetam*, c.1: PL 25 1045.

²⁷⁹*Biblia Sacra iuxta Vulgatam*, Amos, c.1 (margen): Paris 1549, p.739.

apud Interlinealem²⁸¹ et Lyram²⁸². Iacobi 1 *consuetudo est illa quam peccatum cum consummatus fuerit generat mortem*, et apud Gregorium, 3 p. Pastoralis, admonitione 33²⁸³, et Augustinus, Ioan. 11²⁸⁴, significatur quadridiano Lazaro.

1°. Ex praedictis satis constat reiiciendam esse sententiam Altissiodorensis, lib.2, tract.30, c.1, q.4²⁸⁵, et Almain, 1 Moralium, c.9²⁸⁶, dicentium consuetudinem peccandi caeteris paribus non augere gravitatem peccandi sed tantum augere periculum, imo contendunt peccatum primum gravius esse quam reliqua quae ex consuetudine fiunt. Et PROBANT quia primo peccato iusti amittunt gratiam et gloriam et quandoque virginitatem, et facilius sibi temperare poterant propter auxilia quae magis copiosa accipiunt. Deinde quia primum peccatum est magis liberum cum ad illud non inclinatur habitus. Verumtamen hi Doctores non obtinent quod probare nituntur, tum quia peccatum ex consuetudine non est minus liberum et voluntarium propter concursum habitus sed potius magis voluntarium, ut supra, a.1, tum etiam quia eo ipso quod peccatum ex consuetudine procedat, per se habet maiorem contemptum et alias circumstantias supra dictas quae magis intrinsece et per se atque gravius augment malitiam peccati quam amissio gratiae et auxiliorum quae aliquando reperiuntur in primo peccato. [f.373]

2°, OBSERVA peccatum ex malitia ab Scholasticis communiter appellari *peccatum in Spiritum Sanctum*, nam dicunt peccatum ex passione eo quod sit ex infirmitate esse *peccatum in Patrem*, cui

²⁸⁰THEODORETUS, CYRENSIS EPISCOPUS, *Commentarius in Amos prophetam*, c.2: PG 81 1667.

²⁸¹*Biblia Sacra cum Glossa Ordinaria et et interlinealis et apostillae Nicolai de Lyra*, In Amos 1: Lyon 1590, t.4, col.1942.

²⁸²*Ibidem*, col.1941.

²⁸³GREGORIUS MAGNUS, *Regulae pastoralis liber*, 3, admonitio 33: PL 77 115.

²⁸⁴AUGUSTINUS, *In Ioannis Evangelium tractatus*, 49 23: CCL 36, 431; PL 35 1756.

²⁸⁵GULIELMUS ALTISSIODORENSIS, *Summa Aurea*, 1.2, tract.30, c.1, q.4: fol.114v. (De la Bibliot. Apost. Vatic. Incunable III 439)

²⁸⁶JACOBUS ALMAIN, *Moralia quae vocatur*, 1.1, c.9: Paris 1526, fol.22r.

tribuitur potentia; et peccatum ex ignorantia *in Filium*, cui tribuitur sapientia; et peccatum ex malitia, *in Spiritum Sanctum*, cui tribuitur bonitas. Ita Magister, 2, d.43²⁸⁷, ubi copiose disputat de peccato in Spiritum Sanctum, et omnes Doctores ibi, praesertim D. Bonaventura²⁸⁸, Aegydius²⁸⁹, Durandus²⁹⁰ et Scotus²⁹¹. Vide D. Thoma, 2^a 2^{ae}, tota q.14²⁹²; Alexander, 3 p., tract.23, q.140, Bellarmino, tomo 2, lib.2 De poenitentia, cap.16²⁹³.

3^o. Cum tanta sit gravitas peccati ex malitia videbitur alicui nullum veniale peccatum posse committi ex malitia. — Sed ratio ostendit oppositum, quia plerique mentiuntur sine iuramento et damno gravi et non ex ignorantia nec ex passione sed ex electione et aliquando ex habitu et quantum ad hunc modum peccandi pertinet ad peccatum ex malitia. Dicendum igitur est sicut malitia peccati venialis est secundum quid, supra, q.88, a.1, dub.13²⁹⁴, ita peccatum veniale aliquando est ex malitia secundum quid, ut recte D. Thomas supra, a.2 ad 1.

Hucusque de interioribus causis peccatorum; restat dicere de exterioribus causis.

Sigue el comentario a la q.79,
Quomodo Deus sit causa peccati

²⁸⁷PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.43: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.537.

²⁸⁸BONAVENTURA, *Commentaria in quatuor libros Sententiarum*, 2, d.43, a.2: Quaracchi 1885, t.2, p.986.

²⁸⁹AEGYDIUS COLUMNA ROMANUS, *In librum secundum Sententiarum*, d.43: Venecia 1581, pars 2^a, pág.661.

²⁹⁰DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sent. Theol. Petri Lombardi Comment. libri quatuor*, 2, d.43, q.1: Amberes 1566, fol.204v, n.7.

²⁹¹JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.43, q.2: ed Vivès, 13, 493.

²⁹²THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2., q.14: ed. leon.8, 112-117.

²⁹³ROBERTUS BELLARMINO, *Undecima Controversia Generalis de Sacramento Poenitentiae*, 1.2, c.16: ed. Vivès 4 544.

²⁹⁴Archivo Teológico Granadino 54(1991)301.